SINVS ABRAHÆ,

Cujus LUCÆ XVI, fit mentio,

Pro Sermonis à CHRISTO
instituti SCOPO, EX RITU in convi-
viis recumbendi *pristino*, MODOQ;
de Futurâ post hanc vitam Felicitate *do-
cendi*, tum Hebræis olim, tum
ipsi Salvatori nostro illis tem-
poribus usitato,

EVIDENTER EXPLICATUS:
*Locis eâdem occasione, aliis non unis
obiter illustratis:*

Auctore
GEORGIO VECHNERO
SS. Th. D.

LESNÆ POLONORUM.

Ex Officinâ Typographicâ
DANIELIS VETTERI,
Gymnasii Typographi.
ANNO M DC XLVI.

Magnifico ac Verè Generoso Viro,

D. MELCHIORI à SENITZ,

& Rudelsdorff in Vogelgesang &c.

Celsissimorum

PRINCIPP. BREGENSIUM CONSILIARIO INTIMO,

Ducatus Eorund. PRÆFECTO meritissimo:

DOMINO ET PATRONO SVO EXOPTATISSIMO,

Sal. & Cultum.

ANimadverti pronuper, G. ENEROSE DOMINE, cùm diutina Patriæ calamitas, hanc mihi felicitatem interim extorri afferret, ut G. T. per privata propiùs innotescerem colloquia, pientissimum animum tuum, haut parùm delectari iis Scripturarum tractationibus, per quas ex ritu ac more Antiquitatis aliquo, lux accenditur locis cæteroquin velut caligine involutis. Ejus quidem generis explicationem, Ipse dilaudabas mihi nominatim illam, quam legeras apud nonneminem, in Evangelistarum Harmoniâ, circa Institutionem Eucharisticam, ex Paschalibus Hebræorum sacris, eleganter & accomodatè exprompt am. Quâ occasione, cùm eos nominarem, qui pridem jam idem annotassent: & exempla subjicerem, circà locos alios aliquot, gemina: singulariter hæc talia Generosissimæ Pietati Tuæ allubescere sentiebam: ut, quàm mihi ista, ab annis benè mul-

multis, curæ fuerunt, tàm gauderem, nec tuis admota eadem oculis revilescere.

A discessu deinde Vestro, commodùm accidit: ut inter repetitiones meditationum quarundam mearum, ad manum redierit mihi illud ejusdem censûs, quod loco haut minimæ difficultatis, DE ABRAHÆ SINU, ex pari aliquo Antiquitatis lumine, eximiè illustrando, evidenter deservire, jam antè annos complures, observâram.

Arbitratus sum, posse Generoso pectori Tuo, Suavitatis inde Sacræ quippiam afflari fortè, inter gravissimas, quibus nunc Publicæ Rei causâ, propè suffocatur, curas: si facerem, ut absenti Meditatio ista, explicatè pateret, SINUSq; omnium exoptabilissimus, sub ærumnabili hoc seculo, clarè prospiciendus offerretur.

Libuit ita, & Veterum & Juniorum explicationes, de SINU isto beato, præmissim attingere: tùm deindè ex adver-

ſo,quam Scopus, Contextus, Ritus antiquus, Modusq; docendi, Chriſti jam ævo, & Chriſto ipſi uſitatus, *ſuggereret ſententiam, per juſtam declarationem, cum accomodatione Practicâ, ſubtexere.*

Sub G. eneroſi autem Nominis Tui inſcriptione, ut Diſſertatio hæc in publicum prodeat, Favor puto Gratioſus Tuus benignè indulgebit, & obſervantiam ſic G. T. meam ſanctè conſignaturo, & anſam fortè præbituro aliis, non iſta tantùm cogitata ſtrictiùs examinandi; ſed &, ex iſthoc quaſi documento, agnoſcendi, nondum eô progreſſam eſſe Anteceſſorum noſtrorum, ſeu Diligentiam, ſeu Perſpicaciam, ut nihil nobis hodieq; reſtet, quod circa Sacras literas meditando ampliùs eruamus.

Ipſe quidem facilè me invitari etiam patiar: Ut loca non una in ſacris Textibus alia, (uti quædam vel obiter hîc etiam per occaſionem ſimul colluſtrata reperi-

peri-

perientur) filo consimili evolvam: Si modò comperero, id me, Probis, Bonis, Eruditisque non abhorrentibus, facturum.

Tu, Generose Domine, spero, gratiosè & constanter favebis

Generosi Nominis Tui

Cultori obsequiosiss.

G. V. SS. Th. D.

Ad Lectorem benevolum, Scripturarumq; verè studiosum Scrutatorem.

Vis animi mentem penetrat velut enthea, si rem
 Ceu coràm spectes, antè oculosque geri.
Novit id *Orator*, qui sic tibi facta renarrat,
 Cernere præsenti quò videare typo.
Norunt id *Vates* divi, præsagia nobis
 Plurima qui vivis exhibuêre modis,
Ipsa etiam sic *Cœlestis Sapientia*, CHRISTVS,
 Ceu vivâ docuit multa sub effigie.
Quæ mirùm! subeant quàm mentes, atque lacessant,
 Cernere dum potiùs, quam capere aure, datur.

Divi-

Divitis hinc luxum quis non videt indignanter,
Lazarus intereà dum jacet antè fores:
Nec potitur tenui micarum fragmine, quamvis
Nonnisi de mensâ deciduas cupiat.
Dum fœdam saniem delingit odora canum vis,
Quam stillant artus tabifici ulceribus.
Tanta satellitio miseratio, quanta molossis
Non est, quanquam aula est plena ministerio.
Talia ferre oculis grave fit. Sed percipe posthac
Auribus atque oculis, quo sit uterque statu.
Credo quidem gemitus audis, ac tartara cernis,
Dum CHRISTVS memorat *Divitis* entaphium.
Cernis ubi flammas, quas inter discruciatur
Helluo: ubi guttam torridus orat aquæ.
Ista patere satis tibi credo, Lector Amice:
Non ABRAHÆ pariter, credo, patere SINVM,
In quem transpositus post vitæ fata refertur
Esse ministerio *Lazarus* Angelico:
Nî superum penetrale patescat, ut intueare
Cœlestem accubitum ad Nectar & Ambrosiam.
Hîc ubi ceu Princeps Convivî vivit *Abramus*,
Proximus accumbit *Lazarus* in gremio.
Res in conclusis veluti conclavibus acta est,
Vt vix spectari ad secula nostra queat:
Ni *Veteres* recolas *Ritus*, *Moremq;* *docendi*
Antiquum, CHRISTVS quô sua verba refert.
En clavem, conclave Tibi quâ panditur istud,
Vt claro spectes singula contuitu.
Sic tamen hæc cernas, contrà cernatur ut in te,
Sub cruce *cor patiens*, inque ope *larga manus*.

DE

DE SINV ABRAHÆ,

Cujus Lucæ XVI. CHRISTUS meminit.

Sect. I. *Communis Eruditorum de loci ejus sensu hæsitatio, Veterumq́ opinationes diversæ & variæ.*

CRedo ego, reperiri perpaucos hodie, ex Eruditioribus etiam, qui, si animum æquè atque aures habeant attentas, in CHRIſti ſermone de Divite & Lazaro; quem Lucas annotavit Cap. XVI. non aliquantiſper ſecum hæſitent, & quodammodo ambigant, quem in ſenſum accipienda ſint, quæ de SINV ABRAHÆ dicuntur: in quem Lazarus, poſtquam vitâ hac defunctus eſſet, translatus ab Angelis fuiſſe refertur: ubi etiam poſtea commemoratur, in SINIBVS ABRAHÆ fuiſſe conſpectus â Divite, dum in Inferno iſte interim tormentis ex-

cruciaretur. *Veteres* quidem plerosq; omnes, quorum ad nos scripta pertigére, mirè ista SINUS ABRAHÆ designatio exercuit: ut rem *aliqui* censuerint propemodùm inexplicabilem. *Alij* sic satisfacere sibi visi sunt, si ex comparatione quadam recipiendorum in gremium puerulorum, quod Matribus solenne est, rem declararent. *Nonnulli* Secretum quoddam respici voluerunt, cùm in sinum alicujus deponi dicantur, quæ secreta esse debere innuuntur. *Aliqui* â sinu humano, ad sinum quendam maritimum huc accommodandum, suis speculationibus transvecti sunt. Ex *vetustissimis* quoq; extitére, *qui* locum apud inferos quendam sic denotari persvasum habuêre. *Nullus* tamen usquam, quantum animadvertere ego potui, istud vel attigit, ut expenderet, an numeri, in Græco Textu cum variatione occurrentis, ratio forsan etiam esset aliqua, considerationes non indigna. Nam cùm dicatur primo Lazarus translatus fuisse εἰς τὸν κόλπον, in Sinum Abrahæ: posteà ulteriùs refertur conspectus esse, ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ, in Sinibus ejusdem.

Tertullianus ut â Patrum Latinorum propè antiquissimo (quippe qui sub finem secun-

ſecundi poſt Apoſtolos ſeculi floruit) ordiar, & quod de loco apud inferos attigi, primò oſtendam, diſertè ſcriptum reliquit, *lib. de Idollatriâ, cap. XIII.* (ut ipſa Scriptoris verba exprimam) *Lazarus apud inferos in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus alternas malorum & bonorum vices, æmulâ retributione compenſat.* Quibus verbis licet medelam adhibere quidam ſatagant, ut inferos pro omni loco, aut ſtatu mortuorum, dictos Veteribus Latinis Patribus fuiſſe dicant: nimis tamen apertè ex auctoris ſtylo, alium quendam ſenſum ſubeſſe docet illud apud eundem ſcriptorem, quod in *Carminibus ejusdem adverſus Marcionem, lib. IIII. legitur:*

——— *Sub corpore terræ,*
In parte ignotâ, quidam locus extat apertus,
Luce ſua fretus: Abrahæ Sinus ille vocatur:
Altior a tenebris, longè ſemotus ab igne,
Sub terrâ tamen.

Et ſubdit idem auctor poſtea:

——— *Paſſo Domino, velamine rupto*
Cæleſtes patuêre plagæ, cœlataq; Sancta,
Atq; duplex quondam facta eſt domus
Vna perennis.

Ad quæ verba, *C. Barthius Adverſarior. lib. LX. cap. 12.* vides, *inquit*, quæ Antiqui

commentati ſint de hoc loco. Verſibus enim iſtis & alijs eod. loco apud Tertull. exſtantibus, videmus, cenſuiſſe eum, Sinū Abrahæ eſſe locum ſub terrâ, in quem animæ reciperentur juſtorum, & diſtinctum eum eſſe â ſedibus beatis per aram quandam, cujus mentio in Apocalypſi memoratur; Aram eam velatam eſſe, vel fuiſſe pullo velamine quopiam, quod per Chriſtum Dominum fuerit ſublatum: ut jam Sinus Abrahæ ſit felicitas æterna: nec aliorſum animæ juſtorum, poſtquam carceribus corporis exceſſerunt, eant, quàm in æternam ſalutem.

Aliter *Dionyſius Ariopagita*, ſi auctor eſt genuinus ille ejus nominis, qui ſub eo vulgo venit, tantæq; antiquitatis, ut Apoſtolorum ſeculo proximè accenſeri poſſit. Nam *lib. de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ cap. 7.* Lucem ac regionem vivorum cum ſinu Abrahæ, Iſaac & Jacob connectit; locumq; nominat, â quo fugit dolor, triſtitia, & gemitus, ἐν τόπῳ, οὗ ἀπέδρα ὀδύνη, καὶ λύπη καὶ στεναγμός.

Sinus ſunt, inquit porrò, *meâ quidem ſententiâ, Beatorum Patriarcharum, cæterorumq; Sanctorum omnium divinæ beatiſſimæq; requietis ſedes, quæ omnes, qui DEI Speciem*

præ se ferunt, in perfectionem, quæ in ipsis senectutis incommodis caret, & beatissima est, recipiunt : ut interpres quidem verba reddidit, quem Bibliotheca Patrum magna Coloniensis exhibet.

Verba Græca sic habent : Κόλποι δὲ εἰσιν, ὡς οἶμαι, τῶν μακαρίων πατριαρχῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων ἁπάντων, αἱ θειόταται καὶ μακάρισται λήξεις, αἱ τοὺς θεοειδεῖς ὑποδεχόμεναι πάντας, εἰς τὴν ἐν αὐταῖς ἀγήρω καὶ μακαριωτάτην τελείωσιν.

Augustinus quoq; quamvis, Tertulliano plusquam ducentis annis posterior, impetrare abs se nusquam potuit: ut apud inferos Abrahæ Sinum absq; hæsitatione locaret. Exertè potiùs opinioni illi reclamat; tum *Epistolà ad Evodium, quæ XCIX. est numero*; tum *lib. XII. De Genesi ad literã cap. XXXII.* Hæsitantiùs tamen de eâdem re pronuntiat, in *Epistola ad Dardanum, quæ LXVII. numeratur. Vtrum*, inquit, *Sinus ille Abrahæ, ubi Dives impius, cùm in tormentis esset Inferni, requiescentem Pauperem vidit, vel Paradisi censendus vocabulo; vel ad Inferos pertinere existimandus sit, non facilè dixerim.* Addit interim eodem mox loco : *Non enim facile alicubi Scripturarũ, Inferorum nomen invenitur in bono &c. Libro XX. de Civit. DEI*, respicere quidem ad Sinum Abrahæ etiam videtur, cùm in-

quit: *Si non absurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi CHristi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud Inferos fuisse: donec eos inde Sangvis CHristi, & ad ea loca descensus, erueret: profectò deinceps boni fideles, effuso illo pretio jam redemti, prorsus Inferos nesciũt, donec etiam receptis corporibus bona recipiant, qua merentur.* Sed hæsitanter tamen & isthoc loco loquitur: ut mirari subeat, quî *Bellarminus* ausus sit, *lib. IIII. Controv. Secund. Gen. De CHristo, cap. XI.* scribere, *Augustinum isto loco affirmare, Sinum Abrahæ in inferno fuisse.* Cæterum ubi explicare *Augustinus* connititur, quâ ratione Abrahæ Sinus sic dictus sit, qualisq; per appellationem eam, seu locus seu status intelligatur, id potissimùm agit: ut remotam sedem quietis, atque Secretum intelligere jubeat, ubi sit Abraham: qui ideo Sinus Abrahæ dicatur, non quòd ejus sit solius, sed quòd ab ipso, tanquam Patre multarum gentium, sic nominetur. Verba si lubet audire Augustini, (ut vel obiter sic alia Cujusdam ex illo tempore de Sinu Abrahæ opinio simul cognoscatur) sunt *lib. IIII. De Animâ & Origine ejusdem, ad Vincent. Victor. cap. XVI.* hujusmodi:

Quod

Quod illum Abrahæ Sinum existimas corporeum, & per ipsum asseris totum ejus corpus agnosci, vereor, ne in re tantâ jlocalariter & irridenter, non seriò graviterq; agere credaris. Neq; enim usq; adeo desiperes, ut arbitrareris, Corporeum Sinum unius hominis, ferre tot animas: imò, ut secundum te loquar, ferre tot corpora benè meritorum, quot illuc Angeli, sicut Lazarum, perferunt. Nisi opinaris fortasse, illam unam animam solam, ad eundem Sinum pervenire meruisse. Si non jocari, & errare pueriliter non vis, Sinum Abrahæ intellige Remotam Sedem quietis, atq; Secretũ, ubi est Abraham: Et ideo Abrahæ dictũ, non quòd ipsius tantùm sit, sed quòd ipse Pater multarum gentium sit positus: sicut DEUM Abraham, & DEUM Isaac, & DEUM Jacob, se DEUS vocari voluit: cùm sit innumerabilium DEUS.

Existimavit inde, *Gandavensis Episcopus, Cornel. Jansenius*, Augustinum, Abrahæ Sinum ita velle intelligi: ut velut ad *Sinũ quendam*, quem *in Mari* sic dicere solemus, respectârit, ubi *loca portubus & quieti apta* offeruntur. Quem sensum, inter *Veteres*, *Nyssenus*, libello, quem *de Anima & Resurectione* scripsit, seculo docens ab Apostolis quarto, tradidit: Et post eum

approbarit quoq; *Bulgarorum Episcopus*, *Theophylactus*, qui longè tamen, antè hac nominatis Scriptoribus, posterior exstitit, utpote nono post Apostolos seculo florescens. Inter *Juniores*, seu proximi nobis seculi Scriptores, *Didacus Stella*, *Minorita Hispanus*, eundem tanquam planè genuinum inculcat, in textu eo Evangelistæ, quem doctissimis commentarijs illustravit, exponendo. SINVS, inquit, *dicuntur loca Maris, à procellis & Ventorum turbine liberrima. Et quidem Mundus iste velut Mare fluctuat, & Ventis tentationum agitatur maximè.* Quoad ego tamen vim verborum apud *Augustinum* perspicere possum, haut putem isthuc eum respexisse: licet vis Græcæ vocis soleat loca denotare, ubi Mare cavo quodam recessu inter duo promontoria constringitur, ab unâ parte in pontum desinens, ab alterá in flexuosos littorum anfractus sese diffundens. Quod ex *Strabone Lexicographi* docent, loco adducto, ubi *lib. V. de* Sinuessa Siciliæ oppido (certam autem Italiæ partem isto nomine denotari apud eum solere, *Ortelius* monet, *in Thesauro Geographico*) differit, atq; undè nomen sit adepta explicat: ἡ Σινούεσσα inquit, ἐν Σιτάνῳ κόλπῳ ἵδρυται,

ται, ἀφ᾽ οὗ καὶ τοὔνομα. Σίδος ὁ κόλπος. Et dũ nomẽ κόλπου explicatur aqud *Hesychiũ*, (auctorem glossarum maximâ ex parte ad explicandos Hellenistas, præcipuè LXX. Interpr. judicio *Clarissimi Heinsii*, comparatarum;) nihil aliud quoq; legitur, quàm κόλπος, κοῖλος τόπος παραθαλάσσιος: h. e. Sinus, concavus locus ad mare. Vnde, qui præter huncce nesciat consulere Lexicographorũ Græcorum alios, eò sanè necessariò deducetur, ut illam de Sinu quodam maritimo sententiam, in verbis, de quibus agimus, agnoscere propè cogatur. Quo illud quoque facit, quòd *Eustachius*, de sinu maris directè loquens: κόλπον ait, παρὰ τὸ ἐν τούτῳ κέλλειν τὰς ναῦς, ab eo, quòd in illum apellant naves. Quâ ratione, κόλπου nomen, primò etiam competere videatur sinui maritimo, qualem *Theophylactus* vi Græcæ vocis adeò & hîc non temerè agnovisse videatur, ab Abrahamo, quacunque tandem ratione nomen adeptum. Vt alio tamen *Augustinum* respexisse, quàm *Jansenius* opinatur, agnoscamus, illud facit, quòd planius se idem explicat alibi, ubi, cur Secretũ quiddam & quietum per Abrahæ Sinum figurari putet, edisserit; *Sermone nimirum XC.* De Lazaro enim isthic docens, in Sinum

Abrahæ post mortem ab Angelis asportato, *In Sinum Abrahæ*, inquit, *id est, in Secretum, ubi erat Abraham. Nolite enim carnaliter intelligere, quod velut in sinum tunicæ Abraham, levatus sit pauper. Sinus erat quia Secretum erat. Unde dicitur, Redde vicinis nostris in sinum eorum, Psalm. LXXIX. 13. id est, Secreta eorum. Quid est, Redde in sinum eorum? Torque conscientiam eorum.* Quæ verba lectorē per se submonere plus satis possunt, ut agnoscat alio respectum fuisse ab Augustino, in Secreti appellatione, quàm ad sinum quendam in mari fingendum. Atque inveniat interpretatio ista locum fortè apud eos, qui fabulis Ethnicis, de campis Elysijs, aliquid tribuunt, & transfretari animas, seu manes, post obitum censent: ipsa quidem contextus illius ratio, ubi Sinus Abrahæ hîc nominatur, locum statumque tutiorem quietioremque intelligendum innuit, quàm esse sinus in mari cogitari potest. De quo facilè illud animo occurrat, quod apud *Maronem*, ubi Tenedon insulam describit, legitur:

Nunc tantum sinus, & statio malefida carinis.

Cujusmodi quippiam beatitati illi parùm convenit, quæ apud Lazarum agnoscenda

hîc

hîc venit, dum in Abrahæ Sinu constituitur.

Chrysostomus, qui annis non ita multis Augustinum antevertit, ideò in Sinum Abrahæ potiùs, quàm alterius cujusdam delatum fuisse Lazarum arbitratur: quia Abraham in vitâ suâ Hospitalitati, & Pauperum susceptioni fuerit intentus: ut hinc redargueretur magis Divitis illius inhumanitas, & ostenderetur, Abrahamum, ipsum sanè etiam divitem, fuisse ab isto longè diversum: ut item Pauper ille refocillaretur jam magis, dum despectus à Divite in terris, reciperetur post mortem â Divite Abrahamo Patriarcha, in supernis.

Ambrosius, qui Chrysostomo extitit aliquanto prior, rem istam sic attigit tantùm, *in expositione in Lucam cap. LXX.* ut Quietis Sinum, & recessum Sanctitatis vocet. *Non otiosè hîc*, inquit, *Divitem Dominus perfunctum delitijs secularibus, in perpetuæ famis apud Inferos constitutum significavit ærumnâ: Cui non immeritò quinque fratres, id est, quinque sensus corporis, naturali quadam germanitate videntur fuisse sociati, quia immodicis atque innumeris æstuabant cupiditatibus. Lazarum verò in Abrahæ gremio,*

mio, quaſi in quodam ſinu Quietis, & Sanctimonio, quaſi in quodam ſinu Quietis, & Sanctitatis receſſu locavit: ne illecti præſentium voluptate, maneamus in vitijs; vel tædio victi laborum dura fugiamus.

Gloſſa Ordinaria:

Sinus Abrahæ eſt requies beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in quod poſt hanc vitam recipiuntur.

Gloſſa Lyrani:

Portatus eſt in ſinum) id eſt, ad limbū Sanctorum Patrum: ubi deſcendebant juſti morientes, antequā impedimentū generale gloriæ per paſſionem Chriſti eſſet amotum.

Sect. 2. *Juniorum quorundam de eodem illo Abrahæ Sinu, explicationes potiores.*

ALijs plerisque, è Junioribus præſertim, Abrahæ Sinum ſic explicare: popularisſimum eſt viſum: ut mutuatam à Parentibus ſimilitudinem dixerint: qui filios, quos tenerè diligunt, in ſinum ſuum recipere gaudent, & in eo fovere. Quem in modum, de *Andromachâ*, apud *Homer. Iliad.* 5. dicitur.

παῖδ' ἐπὶ κόλπον ἔχουσ' ἀταλάφρονα, νήπιον αὔτως, Ἑκτορίδην ἀγαπητόν: h. e.

Filium

Filium ad sinum habens, tenellum etiamnum
Hectoriden dilectum. (*infantem*,

Exinde dicunt, Lazarum, Judæum, quoniam Abraham Pater fuerit omnium Judæorum, in illius Sinum delatum dici; ad significandum, quòd ab illo sit receptus benignè in Sanctorum consortium, unaq; cum eodem, quiete donatus, quasiq; ab ipso Abrahamo recreatus. Atq; hanc explicandi rationem ita obviam apud auctores superioris, nostriq; ævi, esse puto, ut sine nomine eam designasse satis sit. Videatur tamen, si lubet, *Piscator*, *Herbornensis Theologus*, qui, *Metaphora*, inquit in Scholijs, *à Parentibus, qui parvulos suos, vel discursatione suâ diurnâ fessos, vel ex adverso aliquo casu ejulantes, solatij gratiâ in Sinum suum recipiunt, ut ibi suaviter quiescant. Denominatur autem locus ille quietis cœlestis ab Abrahamo*, (addit ulterius idem) *tanquam Patre credentium: quasi scilicet credentes, laboribus atq; ærumnis hujus mundi defessos, in sinum suum colligat.*

Johannes Gagnæus, Theologus Parisinus, in suis ad N. T. Scholijs, paulò etiam num aliter rem eandem explicat, & ad Fidem Abrahæ itidem respiciens, *Sinum*, inquit, *Abrahæ vocat locum, à DEO constitutum,*

in quẽ

in quem recipiebantur pij Spiritus ante Christi adventum, quòd qui illuc perveniebant, à communis Fidei velut amplexu, quâ Abrahā imitati erant, exciperentur.

Johannes Ferus, Moguntinorum Ecclesiastes olim gravissimus, ita simplicissimè de Abrahæ Sinu sibi docere visus est, dum diceret, *Nihil illum fuisse aliud, quàm Promissionem DEI, Abrahæ factam, sic inquientis: Noli timere: Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

Joachimus Camerarius, cùm totam istam expositionem de Divite & Lazaro, moneat esse εἰκονικὴν, h. e. talem, quæ imagine quadam rem exhibeat, Sinum Abrahæ tamen non aliter explicat ipse, quàm svavissimum complexum: *in Notat. Figur. N. T.*

Johannes Calvinus, ad Fœdus cum Abrahamo pactum, referre explicationem suam potissimùm voluit: *Sicut*, inquit, *Abraham ideo Pater fidelium dictus est, quia penes ipsum depositum fuit æternæ vitæ Fœdus, quod fideli custodiâ servatum, filiis suis primùm, deinde cunctis Gentibus per manus traderet: Et Filij ejus vocantur, quicunque promissionis ejusdem sunt heredes: ita post mortem dicuntur in ejus Sinum colligi, qui ejusdem cum eo fidei fructum percipiunt: metaphorâ*

à Patre

à Patre sumtâ, in cujus veluti Sinum filij conveniunt, dum vespere ab operis diurnis domi congregantur.

Melanchton, Sinum Abrahæ, Quietẽ eorum esse tradit, qui ex promissione facta Abrahæ, fidem, consolationem, & vitam æternam conceperant.

Lutherus, Abrahæ Sinum ita explicat, ut ad Dei verbum, quod ad Abraham factum est, referat, *Anima*, ait, *seu spiritus hominis, quietem sedemve, in quâ permaneat, habet nullam, extra DEI verbum, quoad perveniat extremâ die, ad claram DEI visionem. Sinum itaq; Abrahæ censemus aliud esse nihil, quàm DEI verbum, quo Abrahamo CHRistus promittebatur: In tuo nomine benedicentur omnes gentes, &c. Quibus verbis CHRistus fuit promissus, per quẽ omnes benedicentur &c. Ea ratione Patres, qui ante Christum natum decessêre, in Abrahæ Sinum commigrârunt: h. e. in morte, per firmam fidem, promissum illud retinuerunt, inq; verbum illud obdormiêrunt, recepti & custoditi velut in Sinu, in quo eodem dormiunt etiam, usq; ad diem extremum: &c.*

In Commentarijs tamen in Genesin, sic alicubi scripsit vir idem maximus de Sinu Abrahæ: ut vix satis attendisse videri

que-

queat ad id, quod Servator noster disertè sub Abrahami, Isaaci & Iacobi intuitu & consortio promisit *Matt. VIII.* ℣. 11. dum in Sinu Abrahæ non perpetuum quid, aut post Christi Adventum etiam futurum, inculcasse videtur. Sic enim *Tom.* 11. *in Gen. ad cap.* 25. Inquit: *Non rectè facimus, si servamus Sinum Abrahæ in Novo Testamento. Sicut enim antè mortem Abrahæ, non fuit Sinus Abrahæ, ita nullus amplius est post Christi adventum.* Et paulò post, *Abrahæ Sinus post Resurrectionem CHRISTI destructus est, & successit melior Sinus, scilicet CHRISTI. Quando enim emigramus ex hac viâ, trapimur in CHRISTI Sinum.*

Quæ utut in pium accipi sensum possint, ita tamen Christi verbis conquadranda sunt etiam, ut quod servis suis fidelib' promittit, Luc. XII. ℣. 37. περὶ τοῦ ἀνακλινεῖν αὐτοὺς καὶ διακονήσειν αὐτοῖς, h. e. *quod ipse* scilicet *facturus sit eos recumbere, iisq; sit ministraturus,* simul satis dignè agnoscatur.

Petrus Martyr Loc. Com. Class. 3. *c.* 14: *Non aliud*, inquit, *intelligimus per Sinum Abrahæ, quàm certum locum & receptaculum animorum, in quo eis pax & tranquillitas in conspectu Dei sui concedatur. Pacatam quippè habent conscientiam, & Deum præsentem*

continentur. Abrahæ Sinus dicitur iste locus; quod huic DEUS primo pollicitus sit, in semine illius omnes gentes benedicendas. Idem præterea diem Domini vidit, & gavisus est. De illo item primo legimus, quod crediderit, & fides ei imputata sit ad justitam. Et Christus quando rei hujus mentionem fecit, Hebræis loquebatur, qui eum Patrem suum jactabant.

Possent adjungi hoc loco complurium explicationes, qui sic aliquid hac in re eruendâ operæ sibi sumsisse videntur, inter nostri ævi scriptores. Sed quoniam vestigijs plerique omnes insistunt eorum, quos jam adduximus, compendium facere libet amplioris recensionis, & lectori operam eam relinquere, ut ad hanc sectionem redigat, quicquid sic censuerit huc facere aliquo modo posse.

Illi quidem, qui post Evangelij renovalia scripsére, plerique omnes ab eâ recedunt Sententiâ, quæ apud Inferos Abrahæ Sinum locare olim voluit.

Urbanus Regius tamen, proximè ad Tertulliani mentem in accipiendo Abrahæ Sinu sese attemperasse videtur, dum *in Catech. edit. An.* 1541. de Descensu Christi ad Inferos, in hunc modum scripsit: p. 70. *Sicut Christus homo propter nos factus*

est: ita voluit & verè mori, verè sepeliri, & secundùm animam descendere ad Inferna, ad pias animas Adam, Noah, Loth, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph & aliorum Christi fidelium in Sinu Abrahæ quiescentium, & expectantium plenam redemtionem, ut eas consolaretur, nec Patres solùm ex Inferno liberaret, sed & omnes credentes à condito mundo, usq; ad consummationem seculi. &c.

Et paulò post: *Omnes electi & Christi fideles ab initio mundi ex hoc seculo emigrantes requiescebant in Sinu Abrahæ & eximiã illam ac cœlestem benedictionem in benedicto semine Abrahæ, Christo expectaverant.*

Et fuit sententia isthæc apud Seculorũ superiorum homines, perquam trita. Sic enim *Radulfus Ardentius* etiam habet, *Homilia post Fest. Trinit. primâ: Est autem Sinus Abrahæ locus in superiori inferno tranquillus, in quo, qui in fide Abrahæ moriebantur, cùm requiescebant, expectabant Christum, qui eis regnum cœlorum aperiret.*

Non dissimiliter *Eucherius Lugdunensis in Homilia Evangelij Feria V. post II. Dominicam, Abraham,* inquit, *sicut & cæteri Patriarchæ, & Prophetæ in inferno erant: inferni tamen pœnas non patiebantur. Sinus igitur Abrahæ ille locus intelligitur, in quo simul*

mul collecti Sancti quiescebant. Infernus autem pœnarum locus est, in quo impiorum animæ cruciantur.

Sect. 3. *Difficultas, post tot illas Veterũ Juniorumq; explicationes, in Sinu Abrahæ rectè & accommodatè satis intelligendo, residua: reiq; ejus per media certa exquisitiùs evolvendæ tentatio.*

EX istâ verò tam multiplici & variâ ejus appellationis declaratione, videri queat aliqua saltem Lectori satisfacere facilè posse. Nihilominus asseverare ausim, si Lector rem spectare attentiùs voluerit; & scopo sermonis Christi apud Lucam pressius insistere, vix fore, ut non agnoscat illud, quod *Augustinus* idem inter alia, hac de re scriptum reliquit: cùm *libro VIII de Genesi ad literam cap.* 4. ait: *Quomodo intelligenda sit illa flamma Inferni, ille Sinus Abrahæ, illa Lingua Divitis, ille Digitus Pauperis, illa Sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuetè quærentibus: à cõtentiosè autem certantibus nunquã invenitur.*

Attamen experiri libet, an fortè afferri possit, tale tandem aliquid, ut & man-

ſvetè quærentes habeant, in quo acquieſcere ſic ſatis poſſint: & contentioſe ſolitis certare objiciatur, quod vix queant repudiare, ob evidentem & velut in aprico planè conſtitutam congruentiam. Id quod futurum ſpero, ſi *pro ſcopo*, quem CHRiſtus in eo ſermone habet, velut præfixum, *ex more & uſu* illorum temporum, oſtendam, tum *Supernam Felicitatem*; tum *Præcipuam* quandam *in eâdem Dignitatem*; ſic figurari, & velut oculis contemplandam offerri: dum in Abrahæ Sinum ab obitu tranſlatus Lazarus, dum in ſinibus ejusdẽ conſpectus fuiſſe dicitur.

Quî in eum ſenſum devenerim, ediſſeram, quoad poſſum, breviter ſimul & dilucidè: fortè viam ſic monſtraturus & alijs, ad alia, conſimilem, in modum, manifeſtiùs eruenda.

Sect. 4. *Scopus CHRiſti in hac de Divite Epulone Diſſertatione.*

ANte omnia hunc eſſe CHRiſti *Scopum* iſto loco obſervavi: Vt Divites Avaroſque homines, quales Phariſæi erã, qui & ſubſannaſſe Chriſtum tum dicuntur, Deſpectores illos & Neglectores Pauperum,

perum, quasi imagine quâdam prælucidâ, non tantùm extremæ in Illustri quodam Divite *Infelicitatis*; sed & Supernæ in miserabili quodam Mendiculo *Felicitatis*, præcipuæque apud opulentum quendam, pièque liberalem olim, Patriarcham, *Dignationis*, quàm vehementissimè percelleret. Sic quidem, si ullâ docendi ratione ad frugem reduci possent homines illi, terrenis cupiditatibus & voluptatibus dediti; si adversum pauperes aliquâ arte inclinari, & ad commiserescendum provocari se paterentur, consecuturum videbatur, ut id impresso velut terrore perficeretur. Movent haut leviter, quæ oculis occurrunt; iisque, quæ oculis cernuntur proximè accedunt, quæ per iconismum aliquem audientibus exhibentur. Cumprimis autem acriter penetrant in animos, quæ subitam & inopinatam catastrophen animo contemplandam exhibent: qualem in utrâque, quæ hic introducta fuit, personâ, CHristus effigiare studuit, descriptâ non minùs alterius in hac vitâ, splendidâ luxurie, alterius miserabili egestate; quàm illius posthanc vitam depicto quodammodo intolerabili cruciatu, hujus summè exoptabili receptu.

Sect. 5. *Quâ figuratione de cœlestibus Christus docere solitus sit.*

SCopo ad eum modum agnito, arbitratus sum deinde, rem ita pervestigari certiùs, penitiùsque exquiri posse, si attentè observaretur, *quibus modis, qualique rerum terrenarum accommodatione, Futuræ vitæ status ac felicitas, sueverit illo tempore, tum ab Hebræorum Magistris, tum ab ipso etiam Christo proponi.* Iudicavi, sic fore, ut occurreret, quod Christus agnosci posset adhibuisse etiam hac vice, tanquam ad propositum singulariter accommodatum: dum huc omninò collimasse animadvertitur: ut velut oppositione quadam ad *temporariam illam Divitis felicitatem*, pro pudore terroreque divitibus incutiendo, ob oculos iis poneret *felicitatem dignitatemque eximiam, quæ mendico piè defuncto*, nuperq; immaniter deserto, *posthanc vitam, in perpetuo Beatorum consortio, certissimè foret parata.*

Manifestum est enim, CHristum ita illo tempore in docendo egisse: ut, usitatos inter Hebræorum Magistros docendi modos, qui præsertim in vulgus recepti jam erant, ad auditores suos faciliùs expediendos, adhibere nihil abhorruerit, licet formulæ eædem ille, in

V. T.

V. T. libris Canonicis nusquam fortè aliquæ extarent, vel eodem saltem sensu illo, quo tum terebantur, non occurrerent.

Sic *Gehennam* aliquoties nominat, ut supplicium denotet, impiis post hanc vitam eventurum; de quâ ad eum sensum, in libris T. V. quos habemus, teste *Hieron. ad cap. X. Matt.* nulla usquam mentio occurrit.

Paradisum, seu hortum Hedenis, alio sensu in libris V. T. nominatum, ex vulgi tamen usu, & typi quadam ratione, ad futuræ felicitatis designationem, jam tum adhiberi solitum, similiter eôdem refert.

Mammonæ nomen quoque adhibet, ad divitias notandas: quod in pristinis Ecclesiæ libris non extitisse tum videtur; confictumque fuisse apparet, ab Hebræorum Magistris, ad eorum opinionem notandam, qui divitias, velut pro Deo quodam, reputabant: ut Græcorum πλέτῳ respondeat.

Debitorum nomine peccata indigitat, nec illâ appellatione, in Canonicis libris, ad eum modum antè adhibitâ.

A *Regni Cœlorum* quoque prædicatione, ipse similiter, ut & Baptistes præcursor, prædicationem suam exorsus est: licet ea phrasis posteriorum temporum usu demùm fuerit introducta.

Et poterunt ejusmodi dictionum genera, complura puto alia, deprehendi, si animum attendere ad talia, studium fuerit.

A CHRisto tamen, citra usum quendam prævium, vulgoque nondum perspectum, ita non introducta primitus fuisse ista, sed per Hebræorum Magistros jam antè quodammodo irroborasse, argumento eo non obscurè constat: quod in *Chaldæam Paraphrasin*, quam *Thargum* vocant, pleraque ab Interpretibus, pro plebe sic luculentiùs erudiendâ, videamus alicubi adscita.

Ita ubi in Hebræo, vel nihil tale, vel aliud quid legitur; *Paradisi Gehennæque* nomen reperies in Chaldæo. In *Thargum* quidem, quod Hierosolymitanum dicitur, atque à Iudæis antiquissimum censetur, Gen. III. v. 24. tanquam *Paradisi*, seu *Gan-Heden*, ut vocatur, oppositum, (pro eo scilicet sensu, qui posterioribus demum seculis obtinuit) *Gehenna* additur: diciturque parasse DEUM, Gehennam & Paradisum. Ubi porrò sensus locorum quorundam sic exigere, seu admittere saltem videtur, ut, quod Gehennæ nomine, posteriorum temporum usu significari svevit, intelligatur, reperies quoque in Chaldæo.

Gehen-

Gehennæ nomen: *Psalmo* puta *XLIX, v. 11.* & *L. v. 21.* quibus locis in Hebræo *Scheol* legitur: quod alibi Chaldæus reddidit, *Bethkeburta*, h. e. Domus sepulturæ: *Jobi XXI. v. 13.* In ignem Gehennæ præcipitabit eos. *Psal. CXL. v. 11.* Improbi in Gehennam judicabuntur. 1. *Sam. II. v. 9.* Præparavit Gehennam improbis. *Ibid. v. 8.* Ipsum verò *Paradisi* nomen, utut *in Targum*, sublimiore illo sensu non obveniat, (nisi ubi per oppositionem Gehennæ, μυστικώτερον aliquid innuitur:) pro loco tamen Beatorum in Cœlis legitur *in Talm. Chagiga fol.* 14. *col.* 2. ubi dicitur: Quatuor ingressi sunt in Paradisum, per manus Dei. In *Tosephos* (ut annotat *Buxtorff.*) additur, Non quod ascenderint realiter, sed videbatur ipsis ac si ascendissent. *Aruch* (*Lexicon Judæorum Targumicum*) hîc notat. Locum in Cœlis, ubi animæ colliguntur, vocari Paradisum.

Ita *Debitorum* nomine, per Chaldæum Syriacumque idioma, peccata denotari suevisse, tum *Beza* monet: *ad Matt. VI. v.* 12 & *cap. XXIII. v. 18.* locis in Chaldæo notatis, *Gen. L. v.* 17. & *Psal. I. v. 1.* tum verò uberiùs ostendit Lexicographorum hodiernorum eruditissimus, *Schindle-*

rus,

rus, ex locis *Exod. XXXII. v.31. Levit. IIII. v. 3. Psal. XXXIII. v. 23.* & aliis, ubi *Chuba* legitur, *Num. V. v.7. Ezech. XIIX. v.7.* in Chaldæo, cùm aliæ voces legantur in Hebræo. Sic vide *Gen. XXVI. v. 10. & c. XX. v. 9. Psal. CIX. v. 7. Deut. XXII. v. 26. Gen XXXI. v. 36. Prov. XX. v 9. Jer. XVI. v.* 10. *Num. XXXII. v 23. Lev. IV. v. 3. 2. Sam. XII. v.*13. *Ex. XXXII. v. 32. Ezech. XXXIII. v.* 19. *Job. XIII. v. 23. Eccl. X. v. 4. Thren. IV. v. 22. Amos V. v* 12.

Eadem ratione *Mammonæ* vocem, ubi nusquam in Hebræo comparet, leges in Chaldæo *Gen. XXXVII. v.* 26. *Exod. XXI. v.* 30. *Psal. XLIX. v.* 11. *Hos. V. v.* 11. ubi quoque *Mammonas iniquitatis* nominatur: *Prov. VI. v.* 31.

De appellatione *Regni Cœlorum* vix simile quippiam occurrit, quantùm obſervare mihi licuit: probabiliſſima autẽ conjectura videtur, eam phraſin, ſic invaluiſſe demum poſterioribus ſeculis, cùm Regnũ Iſraëliticum attritum admodùm eſſet, viri que ſpirituales, vim oraculorum divinorum perſpicientes (cumprimis quod legitur *Dan. II. v.* 44.) hoc modo alios deinde conſolari inciperent, ut ſpe quadam Regni, non terreni, ſed cœleſtis planè atque

que divini, eos erigerent, cùm felicitatem interim ſpiritualem & ſupernam, atque à Deo & apud Deum obventuram, innuerent: vide 4 *Eſdr. c. II. v. 37.* Quam appellationem adeò, & Iohannes Baptiſta, & Chriſtus ipſe, accommodè & opportunè, pro recepto tum uſu, ſuo quoque propoſito adhibuerunt, longè alio Regno ſic prædicato, quàm ut usquam ob eam Regni Cœlorum, ſeu Dei, prædicationem, ab ullo quicquam controverſiæ motum ipſis fuiſſe animadvertatur.

Ad eundem ergò modum, negari haut poteſt, Hebræos Veteres, *Felicitatem*, poſt exceſſum è vitá hac piis obventuram, præter alios modos illos, quos adhibuêre, (puta cùm Paradiſum, cùm Regnum Cœlorum Deive dixêre) hac etiam figuratione declarare ſueviſſe: ut *quâdam lauti delicatiq; Convivii, ſeu Menſæ elegantiſſimè ſtructæ, opipareque apparatæ formâ* eam proponerent: licet conſecutis deindè temporibus, res aliò ab Hebræis pertracta fuerit, ad Convivium nempè poſt adventum Meſſiæ futurum: cujus Epulas, per miras quasdam fabulas, ſtupendas neſcio magis, an ridendas, confingere, & ex libris V. T. ipſis, locis quibusdam ſtolidiſſimè explicatis,

catis,

catis, undecunque conquirere ſategerunt. Ubi deBehemoth in montibus mille mentio fit *apud Iobum c.* 40. Maſculum & Fœminam, inquiunt, creavit eum. Si coirent invicem vaſtarent univerſum mundum. Quid fecit Deus? Caſtravit marem, & frigidam reddidit, id eſt, ſterilem, fœminam: & ſervavit eam ad convivium juſtorum in futuro ſeculo. *Baſra f.* 74. *c.* 2.

Ac prębuit ſaltem occaſionem huic de vitâ & beatitate æternâ loquendi modo, inſignis illa, quæ apud *Eſaiam* legitur Prophetia: *cap. XXV. v.* 6. 7. 8. *Faciet Dominus Exercituum omnibus populis in monte hoc Convivium pinguium, Convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus DEVS lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de universâ terrâ.* Certè poſtrema etiam illa, quæ in verbis hiſce Eſaiæ dicuntur, ad futuram, & æternùm beatam vitam trahi reperiuntur in *Apocalypſi cap. VII. v.* 17. *& cap. XXI. v.* 4.

Ad iſtam quidem Futuræ Felicitatis depingendæ rationem, reſpexiſſe in N. T.

apud

apud Evangelistam Lucam, is clarè perspicitur, qui *cap.* XIII. *v.* 15. in Convivio apud Pharisæum, Christo præsente, & de Regno Dei per occasionem nonnulla graviter inculcante, subjecisse refertur: Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ! *Beatus, qui manducat panem in Regno DEI!* quod tantundem est, ac si dixisset: Beatus, qui particeps fuerit Convivii illius cœlestis, seu in Regno Dei apparati.

Sed & antè libros N. T. *in Chaldaicâ Paraphrasi*, planam simplicemque Convivii illius designationem reperies. Ea enim Paraphrasis, in libro *Cocheleth, seu Ecclesiastæ, cap.* IX *v.* 17. ad hunc modum habet: *Dixit Salomon per Spiritum Propheticum, qui ei à Domino: Futurum est, ut Dominus Mundi, dicat omnibus justis, antè se constitutis: Vade, gusta cum gaudio panem tuum, ut statutum est, pro pane, quem dedisti pauperibus, & obscuris, qui esuriebant: Et bibe corde bono vinum, quod repositum est tibi in Horto Heden, id est, in Paradiso, pro vino, quod miscuisti pauperibus & obscuris, qui sitiebant: &c.*

Christus porrò ipse, ut parabolas, quas pro declaratione Regni Cœlorum seu Dei, varias protulit, haut paucas, *de Pran-*

Prandio, de Cœnâ, de Nuptiis, accommodare eodem studuit: ita ad illum *Futuræ Felicitatis per Convivium quoddam figurandæ modum*, liquidè sermonem suum subindè attemperavit. Cùm *Matt.* VIII. *v.* 11. Gentes quoque, Futuræ illius Felicitatis post hanc vitam participes evasuras esse significare vellet, dixisse refertur: *Multos ab Oriente & Occidente venturos esse, & accubituros cum Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo, in Regno cœlorum.* Haud aliò, quàm ad illum docendi modum respexisse agnoscitur, cùm Apostolis suis, Futuræ Felicitatis spem affirmaturus, *velut testamento jus illud legat, ut edant & bibant ad mensam suam, sedeantque in soliis, judicantes duodecim tribus Israel, Luc.* XXII. *v.* 30. accommodè sic tum connectens, quæ ad Futuræ Felicitatis statum, ex usitatâ illa Convivii Regnique Ideâ, dilucidiùs figurandum, faciebant.

Ex eodem respectu, sermonem illum suum instituisse deprehenditur, cùm *Luc.* XII. *v.* 37. dixit: *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.*

Quod si in rem istam plura requirere

for-

forsan lector quispiam potest, adeat *Exercitationes Abr. Sculteti Evangelicas* : atque in illis *libr.* II. *c.* 47. reperiet, prolixiùs declaratum, *Æternam vitam, perpetuo cuidam Convivio eleganter assimilari.*

Apud ipsos quoque Ethnicos, felicitatis post hanc vitam, viris præstantibus obventuræ ideam, per Convivium Deorum, expressam, reperire est: ut cùm apud *Homerum Odyss.* λ. *v.*600. Ulysses narrat, quòd viderit apud inferos:

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίης: h. e.
Post hunc vidi vim Herculanam,
Idolum (scil. ejus:) *Ipse verò apud immor-*
Oblectatur in conviviis. (*tales Deos*

Eodem quidem spectat etiam, cùm apud *Maronem, Epulæ Divûm* nominantur: cùm apud *Horatium*, dicitur,

Pelopis genitor conviva Deorum:

Et apud *Ovidium*, de Tantalo item,

Cui licuit soli Divorum tangere mensas.

Quin ad eosdem *Ethnicos*, mentio quædam *Beati Sinus* à Divinis Scriptoribus permanasse animadvertitur: utut explicare nescierint, quæ ejus ratio omninò esset concipienda. Sic enim apud *Senecam* le-

gere est, in *Consolatione ad Polybium*: *Fruitur nunc aperto atque libero cœlo, ex humili atque depresso, in eum emicuit locum* (*quisquis ille locus est, qui solutas vinculis animas* beato *recipit* Sinu,) *& nunc liberè vagatur*: &c.

Sed &, ubi *status damnatorum miserabilissimus*, hoc quodam indicio depingitur, ut indè luctuosior evasurus esse innuatur, quando visuri sint Abrahamum, & Isaacum, & Jacobum & omnes Prophetas, in Regno DEI; Se verò expulsos foràs, ubi fletus stridorque dentium futurus sit: ibidem disertè de Accubitu in eodem Regno dicitur: *quòd ab Oriente & Occidente, & Austro, & Aquilone venturi sint, & accubituri in Regno DEI*: *Luc. c.* XIII. *v.*28 29. Ut cum respectu ἀνακλίσεως illius, seu Accubitus Convivalis, hanc Abrahami, Lazarique conspectionem, vi rerum sic alibi præclarè à CHRISTO proponi solitarum, etiam hic intelligi, fermè necessarium sit.

Sect. 6. *In Conviviis Veterum, & Christi tempore, qualis accumbendi modus in usu fuerit.*

JAm in Conviviis Veterum, uti apud plerasque Gentes alias, *Græcos, Medos*

Persas

Persas, *Celtas*, *Indos*, ita apud ipsos etiam *Judæos*, ex antiquissimo & primigenio usu, eum morem receptum fuisse certum est: ut *convivæ jacerent ad Epulas*, *alterque adeò ad alterius sinum recumberet*. Quâ de re scripta videri singularia possunt, *Petri Ciacconii de Triclinio*, *sive modo convivandi apud Priscos*: ut & ad eundem *Appendix Fulvii Ursini*: *Stuckius* item, prolixo opere de Conviviis; tum *Philander ad Vitruvium*.

Atq; vel unus *Casaubonus Exercit.* XVI. *s.* XXII. *ad Annal. Baronii*, Lectori cupido satisfacere hîc poterit. Splendidioribus quidem conviviis *triclinia* ac *periclinia* apud Judæos etiam adhibita fuisse, *Philonis* locus innuit, qui in *De vitâ contemplativâ* legitur.

Eundem sanè ritum in accumbendo, apud Hebræos & Salomonis ævo, agnoscit *Franciscus Junius in notis ad Canticum Canticorum*, *cap.* II. *n.* 13. ubi verba Sponsæ spiritualis illustrat: *Sinistra ejus est subter caput meum, & dextera ejus amplectitur me*. Ex isto accumbendi more id jam Abrahami tempore etiam invaluisse *Lucas Osiander* monet, quòd circa hospites solenne fuit, ut antequam recumberent, pedes

illis lavarentur: uti videre est in Explicationibus ad *cap.* XVIII. *Genes.* interſertis.

Nec Romanis tantùm in uſu morem hunc fuiſſe *Valerius Max.* docet, ſed eandem conſvetudinem ex hominum convictu ad Divina penetraſſe innuit, *lib.* II. *c.*2.

Hoc porrò apud eosdem jam CHRISTI tempore obtinuiſſe etiam, ut pluribus ad eandem menſam accumbentibus, in ſinum recumberet unus alterius, isque quem ſibi quisque ſeorſum vellet proximum, agnoſceretur illi chariſſimus, id unum ſatis demonſtrat, quod *de Johanne* legitur, dilectiſſimo Domini Diſcipulo: *Joh.* XIII. *v.* 23. *&c.* XXI. *v.* 20.

Quæ aliàs ſeu pro *Dignitate*, ſeu pro *Charitate*, obſervata ſic etiam apud Veteres fuerit ſeries, ſeu Ordo, videri poteſt apud *Plutarchum l.* I. *Quæſt. Convival. Quæſt.* 3. Et apud eum, quem paulò antè nominavi, *Auctorem, qui de Triclinio* ſcripſit, *à pag.* 24. *& ſequ.* Ubi ex *Plutarcho* & ipſe oſtendit, eum locum, ut in ſinu alterius recumberetur, Uxoris, aut Filiorum, aut alioqu charorum hominum inter honeſtas perſonas fuiſſe. Quô ſigillatim facit, quoc *Plinius Junior, lib. Epiſt.* IV. *Epl.* 22. *Cœnabat*, inquit, *Imperator Nerva, cum paucis*

Vejen

Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat. *Xiphilinus*, Heliogabalum ait, recubuiſſe in pectore Aurelii, & in ſinu ejus cœnam cepiſſe.

Fortè ex iſto more licebit æſtimare & illud convenientiſſimè, quòd *Deut.* XIII, *v.* 6. Uxor, quæ chariſſima ſignificatur, eâ periphraſi deſignatur, ut dicatur, *Uxor ſinus*, quòd recumbere in ſinu ad menſam ſit ſolita. Quô referri quoque poſſunt, quæ tum de *Uxore ſinus*, tum de *Viro ſinus*, dicuntur, *Deut.* XXVIII, *v.* 54. & 56. Si præſertim interminatio, quæ iſto loco exprimitur, ex eo æſtimetur, quod cibi participandi reſpectu, antea fieri inter maritum, uxoremque & liberos ſveverit. Videatur ſi lubet, *Lipſius ad* XI. *Annal. Taciti*, poſt initium paulò.

Sect. 7. *Ex more de rebus Cœleſtibus docendi, & ritu accumbendi & diſcumbendi priſtino, ratio optima patet, Sinus Abrahæ rectè intelligendi.*

QVin igitur expeditiſſimum, congruentiſſimumque hinc illud eſſe cernitur, ut *pro more*, *de Futurâ Felicitate*, per Convivii ideam *docendi*; *pro formâ accum-*

bendi & discumbendi tum usitatâ; *pro occasione, velut ex antecedenti narratione, de splendidâ Divitis epulatione, accommodè captatâ,* agnoscamus, sic dici Lazarum in *Sinum Abrahæ*, translatum, & in *Sinibus ejusdem* conspectum esse à Divite: ut non tantùm ad Abrahami mensam admissus sic proponatur, *Felicitatis omninò cum illo ejusdem consors*: sed &, ut præcipuo apud illum Honore, & *cum manifesto Dilectionis singularis indicio* ad Sinum ejus delatus, atque ab ipsomet usque arctiore amplexu, in Sinus receptus conspiciatur: ad pudefaciendam per ejusmodi ideam, tantô efficaciùs, Divitum in hac vitâ Insolentiam, & ergà pauperes, ærumnososque homines, Inhumanitatem. Sanè, ut clarè patet, cætera omnia esse ad *Scopum* CHRISTI accommodatissima: ita, quod de *Occasione* arreptâ ex antecedenti narratione attigimus, id CHRISTO constat adeò fuisse familiare: ut in cruce quoque Latronis ejus, qui resipiscebat, & deprecabatur supplex consolandi, & in spem lætam erigendi opportunitatem, consimili modo captârit. Nempè & illi *Futuræ Felicitatis imaginem* offerebat, *Paradisi* nomine: cùm jam in monte crucifixis, nihil æquè in propinquo esset

esset, ac præ oculis, quàm *Hortus*. Cujus adeò horti occasione, commodùm commonefaciebat Resipiscentem illum, *Horti ejus*, cujus nomen in hunc usum jam venerat, ut *Felicitatis futuræ* index esset. Hebræis quidem hodièque tritum est, ut circà consepeliendos ingeminent, *Nucho Heden*; h. e. requies ejus sit Paradisus. Qualia verba leguntur quoque in *antiquissimis Hebræorum Epitaphiis*: cujusmodi nonnulla *Basileæ* eruta sunt, seculo proximo. Quin ut in illis, ista verba, *Requies ejus sit in horto voluptatis, seu Paradiso*, legere est: (ut videri potest apud *Christianum Urstisium in Epitom. Histor Basiliens. p.* 157. *&* 159.). Ita ibidem, quod ad rem præsentem propiùs & ipsum facit, *p.* 158. expressum reperitur aliquod, verbis hujusmodi finiens: *Habitatio ejus sit in gloriâ: & accubitus ejus inter Superos.*

Neque ipsa Sinus Abrahæ mentio *Hebræis Hodiernis* inusitata, in futuræ vitæ & beatitatis participatione designandâ. Sic sanè in *Sarmatici juris Processibus*, juramentum legitur, quo qui jurat, si pejeret, ut alia gravissima, ita exclusionem à Sinu Abrahæ, sibi etiam imprecatur.

Neque puto alium sensum habet, quod

in *Tractatu Talmudico Kidduschin fol.* 72.2. legitur, *Hodiè sedet in Sinu Abrahæ*: Quamvis id quidam nimis simpliciter exponant, per *mortuus est*: Et *ex Rabinis* aliquis, tanquam vaticinium accipiat verba eadem, de quodam, in eximium virum evasuro, qui illa die circumcisus fuerit, in Sinu cujusdam, cui nomen Abrahæ fuit. Sed id longiùs quæsitum esse, quis non facilè subodoreretur?

Ipsa quidem Triclinii appellatio ad Felicitatis & sortis in futuro seculo beatæ designationem ab Hebræis etiam adhiberi svevit jam olim: ut præclarè liquet ex eo, quod in *Pirke Aboth cap.* 4. refertur: R. Iacobum scilicet, dicere fuisse solitum: *Mundus hic similis est porticui coram mundo futuro. Præpara ergò te in porticu, ut possis ingredi in Triclinium.* In Textu ipso Iudaico, legitur vox *Tarclin*, quod est Τρίκλινος & *Brozedor*, quod explicant Hebræi, *Beth Schaar*, id est, Πρόθυρον, Vestibulum, porticus mundi futuri, id est, vitæ æternæ. Hinc subdit ad ista *Buxtorff. Lex. Chald. p.* 1808. Comparanda ergò sunt in hâc vitâ, quę nos conducant in futuram. Nam *mundus hic est via & vadum ad mundum futurum, in quo æternùm vivimus*: scribit *Majemon*.

In

In iſtâ ergo, de quâ hîc agimus, CHRISTI diſſertatione, cùm ſplendidæ illius Epulationis, quâ Dives in terris fuerat uſus, mentio modò præceſſiſſet: nihil æquè in propinquo ſe obtulit; nihil ad Divitum ſuperſtitum indolem, malè moratam illam, concaſtigandam, magis, ſeu æquè accomodum extitit: quàm dictâ illâ ratione, *Felicitatem huic vitæ ſuccedaneam*, ſimulq; cum eadem *Dignationem præcipuam*, quæ Lazaro contigerit, per *Accubitum ſupernum* figurandi, Pauperculumque illum non in Triclinio tantùm ſanctiſſimo illo, Abrahami, Iſaaci & Iacobi, ſed & inter eos *in Sinibus Patriarchæ* ditiſſimi ac beatiſſimi, præcipuique illorum Anteceſſoris Abrahami, abrepto illi ad condemnationis loca, Diviti, ejusque Fratribus, velut ob oculos conſtituendi.

Illum quidem nuper egeſtuoſum & deſpicatiſſimum hominem, quaſi videre, ſummis deliciis amicabiliſſimè accitum, non potuit non grande tormentum fuiſſe cogitari delicato Epuloni, à deliciarum participatione tanto magis dehinc ſemoto, quanto illis antehac inſolentiùs adſueverat. Facit ad augendum dolorem & cruciatum, ſi videatur cibus potusve ac-

commodus ac ſvavis, à ſitibundo, vel famelico: atque ejus tamen copia fieri nulla poſſit.

Sic apud *Maronem* in deſcriptione Tartari, *Æneid.* VI. tortura damnatorum quædam depingitur, ut Epulas quidam habeant velut ante ora paratas, Regifico luxu: ſed quibus tamen perpotiri nequeant, ob accubantem Furiarum maximam.

Lucent, inquit, *genialibus altis*
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima juxtà
Accubat, & manibus prohibet contingere
menſas.

Sect. 8. *Quò illud ſpectet, quòd Sinus primò, ſingulari, & mox Sinuum, plurativo etiam numero mentio fit.*

NEquè verò, (ut iſtud etiam hîc paucis perſequar) temerè legi cùm variatione quâdam videtur, primò, *Delatum fuiſſe Lazarum*, εἰς τὸν κόλπον, *in Sinum*, ſingulari numero: poſteà autem mox, *Spectatum eundem eſſe*, ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ, *in Sinibus ejusdem*, numero plurali. Cogitari ſcilicet poteſt, *Sinus* quaſi *duplex* eſſe: *Inferior*, qui ad pedes; *ſuperior*, qui ad brachia, in pectoris concavo denotari ſolet. Ac

Sinum

Sinum igitur *inferiorem* repositus Lazarus ab Angelis fuisse significatur initiò: ab Abrahamo autem deinde *ad Sinum superiorem, seu ad pectus ipsum* pertractus, & velut amplexibus quibusdam comprehensus exhibetur: prouti non temerè *de Johanne* quoque legitur, in Historia Ejusd. Evangelicâ, *cap.* XIII. *v.* 23. in Sinu Christi eum recubuisse: cùm ibidem postea, *v.* 25. *&* *cap.* XXI. *v.* 20. dicatur, tum ἐπιπεσεῖν, tum ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ, h. e. *ad pectus ejus se inclinasse, seu recubuisse*, tanquam in amplexus ejus se immittens, ut secretius quid rescisсere sic commodiùs potuisse innuatur, & dilectior præ aliis fuisse intelligatur.

Apud *Homerum* sanè, τῶν κόλπων nomine, receptum in brachia, seu ulnas, atque amplexationem denotari planum est: ubi *Hymno in Bacchum* inquit:

> Ὃν τρέφον ἠΰκομοι νύμφαι παρὰ πατρὸς ἄνακτος
> δεξάμεναι κόλποισι.

Sect. 9. *Quâ ratione hic velut Biclinii etiam, & Cœnæ Adventitiæ, seu Hypodecticæ, respectus agnosci possit.*

ID quoque *Dignationis & Dilectionis* haut minimæ argumentum præbere potest, si ut-

ſicut CHRISTI narratio præ ſe ferre videtur, peculiari quodam *Biclinio*, (quod apud *Plautum in Bacchid.* ſic nominatur) exceptùm, & delicatiùs ita ab Abrahamo habitum fuiſſe cogitemus: Prouti & *felicitatis amplioris tantùm præludium* ſic agnoſcitur, ſi datum Lazaro, fame antea enecto, velut *Cœnam quandam Adventitiam*, (quam *Svetonius de Vitellio* ita nominat) vel *Hypodecticam*, (ut *Plutarcho in Sympoſ.* dicitur: *Exceptitiam Cœl. Rhodiginus* vocat) fuiſſe arbitremur. Quam adeò mox ab exceſſu ſuo, eminus, ex longinquo ſpectare, non potuit non accidere Diviti illi ægerrimũ, velút talionem ſic experienti: ut e longinquo, ad divinas epulas accumbentem, fruſtrà viciſſim ſpectaret, quem anteà præ foribus abjectum, ſuas quoque epulas fruſtraneo deſiderio ſpectaſſe meminerat.

Sect. 10. *Divitibus hujus ſeculi, quid iſtâ Figuratione Beati in Sinu Abrahæ accubitus, & connotati amicabilis complexus, tacitè ulteriùs ſubjiciatur.*

SEd & per iſtum *Lazari in Abrahæ Sinu accubitum*, perque *amicabilem* illum, qui connotari ſimul animadvertitur *amplexum*,

xum, subjicitur à CHRISTO Divitibus rudimentum haut obscurum, *tum spei*, quam per conditionem suam abjicere necesse non habeant; *tum morum*, quos exercere conveniat, nisi excidere illa spe velint. Dum *Lazarus* enim *in Sinu* spectandus offertur, exhibetur simùl *Abrahamus* velut *princeps quidam Convivii superni*, qui & ipse olim, cùm inter mortales esset, *opulentus & prædives* extitit. Dum ejusdem *in Sinibus* spectatur ille, qui egestuosus ulcerosusque paulò antè extiterat, atque apud divitem illum in terris nec micarum compos evaserat, jam *Patriarchæ illius Indoles* recolenda tacitè proponitur, quâ fuit ejusmodi, quoad inter homines vixit, ut tam ærumnabilem virum aliquem haut neglecturus fuisset, si ad fores suas prostratum unquam animadvertisset: quâ tali vel in superno palatio esse apparet, ut non ad communem tantùm mensam adsciscat, quem *Dives ille* extra ædes suas relinquebat, sed in κόλπους suum, sinusque & amplexus intimos etiam recipiat, quem ille ad πυλῶνα abjectum, nec micis dignabatur.

Sic quidem per cœlestem Sapientiam, evidenti auctoramento commonefiunt *divites*: grassari ipsosmet etiam posse ad *su-*

pernam Felicitatem: sed non tamen nisi eo pacto: ut, *quemadmodum opulentiâ similes existant Abrahamo, sic Fidei ejusdem atque Hospitalitatis existant, quoad in seculo hoc degerent, verè æmuli.* Quâ quidem Indole Abrahamus extiterit suo ævo, Historia Mosaica abundè testatur: ut tam esse illa nota omnibus possit, quàm nomen est Patriarchæ ejus. Sed & eandem indolem idea hîc quoq; aliqua seu pictura illustris exhibet, quâ in supremis spectandus sistitur: ubi in *Sinum suum* admittit hominem paulò antè ærumnabilissimum; Ubi *amplexibus suis* non dedignatur, quem Divitis inhumanitas adeò destituerat, ut nullum illi, nisi in caninis linctibus, superesset solatium.

Adeò autem *ad amplexus* quosdam inter convivandum, illam *Sinuum* mentionem, quam verba Christi faciunt, referre inconcinnum non est: ut non obscurum est, ex convivandi more, docendi movendiq; gratiâ, accommodasse CHRISTVM sibi, in futurâ quoque gloriâ considerato, quod minùs quadrare ejus personæ videatur, quàm amplexatio ejusmodi Abrahamo. Puta cùm *Luc.* XII. *v.* 37. fingit, *ipsum Dominum sese succingentem & discumbere facien-*

facientem ministros suos, seu servos, eâ, quam præceperat vigilantiâ repertos, astantem, circumeuntem, denique & ipsis ministrantem. Volebat scilicet sic acriùs exstimulare *ad vigilantiam* eos, quos ministeriis suis adsciverat, præfiguratâ illis *summâ dignatione*, quâ eos vicissim in futurâ vitâ accepturus esset, *convivii cœlestis typo* sic extenso: ut sibi tribuerit, quod Paterfamilias agere solet, non circa ministros aut servos suos, sed circa convivas, quos summè honoratos cupit: ut nec ipse accumbat, nisi fortè postremo loco: ut ipse considere ante se omnes jubeat: ut ad mensam ipse adstet, circumcursitet, & ne quid desiderari uspiam queat, attentè prospiciat. Qualia hospitis humani, atque perquam officiosi studia, *Flaccus* in fabellam quoque transtulit, cùm inquit,

Velut succinctus cursitat hospes,
Continuatq; dapes, nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis.

Consimili modo ac Scopo, *in Sinibus Abrahæ*, h. e. in amicabilissimis ejus amplexibus, spectatum hic fuisse Lazarum, vel ideo dixit CHRISTUS: ut quod divites acriùs vehementiùsque redargueret, ob pauperum despicationem, quodque

eos-

eosdem ab omni illâ inhumanitate, in fu-
turum vehementiùs absterrere posset, id
sic ipsis luculentiùs velut ob oculos ve-
niret.

Neque ipsa ista *Sinuum Abrahæ* conside-
ratio, majorem vim non habet, *ad mores*
Divitum decenter reformandos: si id spe-
ctetur tandem, quòd *Dives ille Abrahamum*
pro Patre, *h. e.* Antecessore sui generis,
agnovisse significatur. Eâ certè ratione,
& Dives ille, & qui sub ejus personâ figu-
rantur, sortis & indolis paris quicunque
alii, agnoscere jubentur, *perditissimos se fo-*
re Sanctissimi Patriarchæ nepotes, si Lazarum,
seu miserabilem ullum hominem aliquem,
ipsi in terris, vel micis etiam suis, dedignentur:
cùm videant, ab Abrahamo Lazarum tam
delicatè in supernis haberi, atque ad cœle-
stem mensam, non tantùm proximo ac-
cubitu recipi, sed in Sinibus etiam arctis-
simis gratiosissimè attineri. Perquam et-
iam appositâ oppositione, majorem luxu-
riosa illi Epuloni dolorem, facessivisse id
cogitari potest: quòd uti anteà ex conspe-
ctu largæ & opiparæ pastionis, quâ frui
cerneret alios, miseria & cruciabilitas ad-
aucta fuit Lazaro, cùm ipse interim fame
premeretur, sic tandem, vice versâ, ipso
Epu-

Epularum, Nectarisque & Ambrosiæ cœlestis, quibus perfrueretur Lazarus, contuitu, Dives siti excruciatus, tantò divexatus tortusque acerbiùs fuerit.

Nempe, ut famelico illi, cernere aliorum affluentiam, cùm ipse cogeretur, vel micis carere, de mensâ prociduis, grave accidit & dolorosum: ita sitibundo huic spectare vicissim, delicias supramundanas, atque nec guttulâ liquoris tenuissimi perpotiri posse, non potuit non multò cruciabilissimum accidere.

Sic istâ quoque parte in Divinis Vindiciis Talio usuvenit.

Αἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο: est apud *Suidam*: Et jure merito, *Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.*

Præterea nec ægrotationis respectus hîc nihil considerationis offert, accommodè notandæ. Nempe Ægrotatio, ut monet *Chrysostomus*, habet aliquod solatium, cùm habet, quo opus est. Sed cùm Infirmitati Paupertas adjungitur, duplicatur miseria. *Delicata*, inquit *Chrysostomus*, *est ægrotatio, atque cupedias affectat subinde.* Sed hicce, utut nihil istarum requireret, sed micas solas, easque de abaco recidentes, nec illis tamen perpotitur. Itaque ex adverso,

αὐτῶ

ἀνελεήμων iste, licet adſveverat ſvaviſſimis antea hauſtibus, atque nunc avidiùs aliquid potiunculæ expeteret, & guttulam quoque aquæ ſolam flagitaret, nec illam etiam impetrat: ut omnem in modum immiſericordiam ſuam luere cogatur: Qui micas deciduas expetiſſenti negarat, jure viciſſim nec guttâ perpotitur, quamvis ejusdem magnopere expetens.

Sect. II. *Aquæ à damnato Divite deſiderata conſideratio accommoda, ex Convivii reſpectu amplius & ipſa inſtitui poteſt.*

QUin, quod de Digito in aquam intingendo, poſcit à Lazaro Dives in flammis conſtitutus, id quoque, cùm ex Convivii ratione expendi ampliùs non ineptè poteſt: tum verò vim afferre peracrem debitè conſiderantibus poteſt, ad mores illorum inantè corrigendos, qui etiam in micis quandoque communicandis nimis ſeſe illiberales exhibent.

Nempe Cœleſtis illius Convivii modus, utut ſublimiora & puriora cæteroquin omnia figuret, ex typo tamen humani convivii æſtimandus venit: ſaltem Diviti ſic inſpiciendus offertur.

In Conviviis verò Aqua ſic præſtò eſſe ſolet, ut vel vinum, ſi ſit generoſius, diluatur; vel ut lavandis tantùm manibus adhibeatur; vel ut infrigidando potui inſerviat, proximè alicubi in pſyctere appoſita.

Poſſunt adeò, qui Pauperum, Ærumnabiliumque hominum miſereri inter luxurias ſuas ſeculares minùs ſolent, hîc illud ſibi ad animum revocare, eveniſſe ſuorum morum anteſignano illi tandem in torturis infernalibus, ut ab eo, cui micam denegârat, in ſuâ illâ ſeu affluentiâ ſeu ſuperfluentiâ panis ac ciborum, neceſſe habuerit petere, vel aquæ guttam, quam digito, ſeu in malluvium, ſeu in pſycterium, ſeu in hydriam, refrigerando potui appoſitam, intincto ad ſe deferret: Attamen nec illud impetrari potuiſſe contrà, poſtquã adeò inclementer anteà habitus fuit, qui ad πυλῶνα jacuit miſer, micarum tantummodò cupidus, cùm cupediis in hâc vitâ Divitem abundare ſpectaret.

Nihil quidem micis, de menſâ cadentibus, & tamen eſurienti Lazaro inclementiſſimè negatis, opponi ex adverſo efficaciùs poterat, quàm aqua, quâ manus etiam jam ablutæ cogitari poſſunt. Canibus cedere micæ ſolent, prociduæ illæ. Homi-

ni miserabilissimo eas nec denegasse congruentiùs fuerat. Sed qui nec istas cedere famelico Lazaro voluerat, jam cogitur frustrà tandem ab ipso expetere, ut digitum intingat in aquam, sibi refrigerando apportandam, in aquam scilicet, quæ cadere solet in conviviis humanis, vel inaniter etiã prorsùm profundi.

Cujus aquæ respectu, si divitem illum desiderasse refrigerium suæ linguæ cogitemus, jam alterum illud quoque cogitandum erit, spectatorem hîc fuisse Divitem, eum Convivii illius, seu Cœnæ Adventitiæ, tanquam ad finem usque perductæ: ut de polubro jam agi viderit: cujus occasione adeò desiderârit, vel ex aquæ istius intinctu levamen sibi in torturâ ignis contingere.

Eam ipsam autem aquam, cùm tantæ ad fervorem linguæ suæ restinguendum efficaciæ judicârit, ut vel de guttulâ levamen sibi aliquod sit polliceri ausus, non est à re prorsus alienum, exinde aliquâ ratione æstimare, tum quæ torturæ Infernalis sit vehementia; tum verò, quæ contrà existat supernarum deliciarum vis longè efficacissima! Etiam guttulæ perparcæ, quæ de Convivio Cœlesti transferatu,

tur, tanti videntur valoris fore, ut incendia restinguere possint phlegetontæa illa, quæ lingua sentiat.

Atque hæc, dum aquæ fit mentio, attingere sic hoc loco, in Convivii Cœlestis consideratione, libuit: non tantùm, ut hinc pateat, ad *Marinum* quendam *Sinum*, quem sibi nonnulli hic finxêre, ut superiùs docuimus, minùs necesse esse, mentionem aquæ referre; vel eum exindè arguere: Sed & ut ipsa Sinus Abrahæ Explicatio, per Convivii modum tanto evidentior ex omni parte evaderet.

Nempe in toto contextu eo, vix quicquam sic occurrit, quod sub Convivii intuitu, non eleganter ad propositum quadret, filoque deduci perpetuo ex eodem quasi principio possit: quodque denique non faciat ad Scopum castigandæ immiserantis luxuriæ, quàm appositissimè.

Sect. 12. *Explicatio Sinus Abrahæ præmissa, longè quidem evidentissima, apud Antiquos tamen nusquam occurrit.*

ATque hæc jam satis esse possunt, ad propositam SINUS ABRAHÆ explicationem, dilucidiùs fructuosiùsque

aliquanto exhibendam. Ea quidem uti *Scripturis* per omnia existit *consentanea*, & clarissimè ex *locorum* variorum *collatione* fluit; *Consilio* autem Domini circa divites nervosè monendos & movendos, apprimè *respondet*: ita spero agnosci poterit talis omnino esse, ut *mansvetè quærentes*, vix clarius quiddam desiderent; *contentiosè* autem *certantes*, nec reperiant facilè, quod contrà excipiant, aut objiciant.

Equidem, cùm in sensum hactenus evolutum, verba illa CHRISTI de *Abrahæ Sinu* accipienda, ex *locorum* Scripturæ aliorum *collatione*; ex attentâ *Scopi consideratione*; ex *moris pristini* tum docendi de futurâ vitâ, tum accumbendi in conviviis, *accommodatione*, satis sic planè animadvertissem, perquisivi nihilominus non indiligenter, annon esset inter Commentatores, seu antiquiores, seu recentiores, fortè aliquis, qui ad eundem sensum pertigisset. Hanc enim in tractandis Sacris Scripturis legem, jam ab annis non paucis mihi dixi: ut dum de *Analysi Exegesique Textus* alicujus video, totum meipsum meditando, antè excutiam, quàm Commentatores ullos adeam. Quos deinde, viribus meis sic priùs tentatis, & considerando

do velut exantlatis, consulo posteà, quotquot habere possum omnes, dispiciens sedulò atque attentè, si quid in cogitatis meis, seu compleam exindè, seu confirmem, seu corrigam; seu etiam, tanquam ab aliis prætermissum, cùm studiosiùs annotem, tum scrupulosiùs usque expendam & examinem. Hoc igitur in præsente textu, cùm agerem quoque, nullum dum sanè ex ævo superiori ac pristino reperi, quem nominare possim in explicatione istâ prævium. *Chrysostomum* demiratus sum, qui ad eandem istam *Sinus Abrahæ* perspectionem non pertigerit, cùm Lazarum sic interim à Divite conspectum agnoverit: ut *regiæ* quoque *mensæ* mentionem juxtà duxerit faciendam, dum statum Lazari beatiorem exprimit, *Epistolâ quam Exul Exuli Cyriaco Episcopo*, scripsit, elegantissimâ.

Sect. 13. *Explicatio Sinus Abrahæ præmissa, apud Juniores nonnullibi tandem reperta.*

ATtamen de Juniorum quorundam Auctorum inspectione, haud unum solumve, nec primum me esse, tandem deprehendi, qui sensum istum perspexerim,

rim, utut citra prævium ullius ductum in eum devenerim. Reperi scilicet & *Cameronem* inter nostros, insigni, in locorum quorumque difficilium evolutione, sagacitate virum; & *Maldonatum*, inter Pontificios, nominis celeberrimi Jesuitam, planè eodem in *Abrahæ Sinu* explicando, collimantes, quò me attentior rei consideratio deduxit. Quin & antè utrosque illos *Beza* eodem digitum intendit, loco Annotationum extrà præsentem textum alio, puta *Matth.* VIII. *annotatione octavâ*: cùm in propriâ sede *Luc.* XVI. nihil ejus rei meminerit: quod, si attentè satis considerationi illi, sic obiter duntaxat antè indigitatæ, insistere voluisset, vix prætermittere etiam potuisset.

Antè ipsum porrò *Bezam*, proximè abfuit quoque ab eo sensu, quem nunc, dilucidè satis, ut opinor, explicavimus, *Matthias Flacius Illyricus*, in opere eruditissimo, quod *Scripturæ Clavem* inscripsit. Is, ubi de *Sinu Abrahæ* disserit, sic suam connititur expromere sententiam, ut in vestigia sensus genuini planè incidisse, sed eadem tamen haut dextrè & directè satis persecutus esse deprehendatur. Quin, nescio quo, exorbitavit quodammodo, dum

dum pios etiam in hâc vitâ in Sinu Abrahæ esse ac foveri dici posse arbitratur. Nam textus profectò apud Lucam, cujus explicandi gratiâ, ista disserit, non ad statum aliquem in hâc vitâ ullo modo spectat, sed ad illum duntaxat statum refertur, qui post hanc vitam fidelibus continget. Libet ipsa Auctoris verba subjicere, ut quod dixi, in omnem modum à lectore clariùs agnoscatur: atq; vel sic simul animadvertatur, quantoperè hallucinari ac cespitare tum etiam contingat nonnunquam, cùm viam interim rectissimam ingressi sumus, si non item cœptâ dexteritate progrediamur. *Luc.* XVI. inquit, *est, Lazarum esse portatum ab Angelis in Sinum Abrahæ. Id intelligunt, de copiâ bonorum, quæ ibi piis proposita est. Non malè sanè. Sed vocis rationem hanc putant esse, quòd primùm vocabulum istud per metaphoram à sinu humano transfertur ad receptacula maris intrà terram, quæ ob tranquillitatem solent etiam esse portus ac statio navibus. Hinc porrò, secundâ metaphorâ, putant illam cœlestem felicitatem aut portum vocari, quòd pii eò confugientes, ac per mortem commigrantes, sint jam à periculis ventorũ, piratarum, ac tempestuosi hujus maris liberi. Verùm ego opinor non*

sine causa addi nomen ABRAHÆ: *ac ideò illum locum vocari* SINUM *Abrahæ: quia Abraham dicitur Pater omnium credentium, justificatorum, & salvandorum. Ideò nunc ex hac mundi miseriâ & vexatione Diaboli ac Impiorum, dicitur colligere ad se ac veluti in sinum suum, suos dilectos filiolos, eosque ibi fovere ac recreare.* Addit post hæc: *Vicina prorsus locutio est, quòd Christus dicit, multos venturos ab Oriente & Occidente, ac convivaturos in cœlo cum Abrahamo: contrà filios ejus carnales excludendos. Aliqui exponunt per Sinum, Promissiones datas Abrahamo. Verùm melior est altera ratio locutionis: quia & minùs dura est in verbis: & præterea promissiones Abrahamo datas, etiam in hac vitâ amplectimur, ut ea ratione etiam hic agentes, pii in Sinu Abrahæ esse ac foveri dici queant.* Sic Flacius eo in loco, ubi mox posteà ritus accumbendi pristini explicatè meminit, atque typum etiam quendam exhibet: eundem tamen ad cœleste Convivium, & sic satis apertè explicandum Abrahæ Sinum, accommodare neglexit.

Paulò verò concisiùs etiam *Cameron*, uti & *Maldonatus*, rem eam deducunt: ut indè rear accidisse, quô minùs Explica-

tio

tio eâdem se probârit Viro Eruditissimo, *Ludovico Capello*, cujus *Spicilegium Myrothecio Cameronis Evangelico adjunctum* prodiit. Atque iste, dum obniti quodammodo Explicationi huic videtur, quasi oblitus censeri potest moris ejus, quem de reliquo diligenter observat: ut ex *pristinis Hebræorum ritibus ac libris* haut pauca N.T. loca accommodè illustret; haut dubiè isthac parte eleganter idem præstiturus, si meditari aliquanto pressiùs voluisset, quemadmodum ex *Hebrææ Antiquitate* illustrari confirmarique sensus iste posset. Saltem dum præferri id vult, *quòd pii dormire dicantur in Scripturâ, dum mortui sunt, & quiescere à laboribus suis; nusquam autem potiùs quiescere & dormire dici queant, quàm in gremio seu sinu Spiritualis sui Patris Abrahami*: cogitare debuerat, an tale quid *Scopo Christi*, quem in figuratione eâ intendebat, satis etiam responderet. Lazari sic velut dormientis idea, minùs utique torquere potuisset divitem, sub cujus figurâ percellere tamen Divites Christus voluit. Nec felicitatem Pauperum piorum futuram, Euclionibus illis opulentis & luxuriosis, tam accommodatè spectandam idem objecisset, si somnorinâ quiete tan-

tùm ſic fruentem exhibuiſſet Lazarum, & velut ἐπικολπίδιον βρέφος (quod Porphyrio dicitur) h. e. infantulum quendam ſinu foveri ſolitum, oculis objectaſſet: ut ne alia nunc producam, quæ vel minùs quadrare animadvertantur, vel enervare quodammodo ſermonem Chriſti, aut cæteroquin etiam aliquid inconcinnius arguant, ſi Lazarum in Sinu Abrahæ ſic velut dormiſcentem fingamus. Nusquam quidem id ſcriptura agit, ut quos tanquam *Futuræ Felicitatis* compotes exhibere inſtituit, eos tanquam dormientes nobis proponat: licet beatam mortem fidelium ſic denotare gaudeat, ut obdormiiſſe eos dicat. Per *convivium* autem, aut *accubitum* quendam *convivalem*, ita frequenter *futura* nobis *gaudia* depingit, ut nihil queat eſſe magis obvium.

Sect. 14. *Explicationis ejusdem Vſus ad Limbum Patrum, quem finxêre Veteres, & hodiè Pontificii propugnant, redarguendum.*

Atque hîc *Maldonatus*, utut perſpicere plus ſatis potuit, *Limbo* quem vocant, tum *Patrum*, tum *Puerorum*, ſtatuminando, minùs accommodum manere lo-

re locum iſtum, ſi in eum, quem ſic hactenus deduximus modum, quemcunq; ipſe etiam animadvertit eſſe congruentiſſimum, accipiatur: non auſus eſt tamen, aliam explicationem aliquam, dogmatibus hodièque inter Pontificios celebratis magis idoneam, præferre, vel illud hîc repetere, quod *Matt.* VIII. *verſ.* 13. dixerat: *Sinum Abrahæ vocari illud velut conclave, ubi Abraham cœleſtium deliciarum guſtu quodam, expectatione frueretur.* Ipſâ haut dubio rei evidentiâ permotus eſt: ut volens nolens deſeruerit hâc parte, quod ſuperiùs etiam *ad Limbum Puerorum* accommodárat. Nam & de puerulis Bethlehemiticis ſic egit *Matt.* II. *verſ.* 18. ut in Sinum Abrahæ tranſlatos eos diceret, cùm ſignificare vellet, in Limbum Puerorum, quem dicunt, perveniſſe. Cum *Bellarmino* quidem, cauſæ communi ſubſidium deinde quærit in eo, ut *Chaos* Vulgatæ Verſionis relinquat, & χάσμα, h. e. *Hiatum* inter utrosque confirmatum, urgeat. Sed quàm idipſum inaniter fiat ab utroque, ſi *Sinus Abrahæ* ad noſtrum iſtum modum explicandus cogitetur, nemini non poteſt eſſe plusquam dilucidum, dum animum vel obiter attendat. Scilicet ex

Hiatu

Hiatu illo concludere satagit *Bellarminus*, utrasque animas, Lazari scilicet Abrahæque, ac damnati Divitis, in eadem voragine fuisse, licet multùm inter se distantes, (quemadmodum loquitur *libro de Animâ Christi cap.* XI.) cùm, hiatu licet inter quosdam designato, nec in eadem eosdem voragine collocari necesse sit; nec illa secundum Scripturas accepta Sinus Abrahæ designatio, in Voragine aliquâ, extrà Beatitatis sedem, locum inveniat. Loca sanè illa, quorum *collatione* Interpretatio nostra, nititur, puta *Matt.* VIII. *Luc.* XII. & XIII. *itemque* XXII. Catholici (ut vocari gaudent) universim omnes, quod novimus, de *cœlesti Beatitate* accipienda agnoscunt. Et ille verò *accubitus* etiam, *cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo*, qui *Mat. c.* VIII. proponitur, oppositam mox post se habet *ejectionem* ejusmodi, εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, *in tenebras illas exteriores, ubi futurus est ploratus, & stridor dentium*: ut quo referri debeat, nec obscurum, nec dubium esse possit. Quin & *Maldonatus* ipse locum eum sic interpretatur item, ut non solùm dicat, dubium non esse, per exteriores tenebras, Infernum significari: (quamvis *Origenes*

Tra-

Tractatu in Matt. XXIII. *Purgatorium* interpretetur, quod extrà Infernum sit,) sed & eâdem illâ Convivii ratione eleganter doceat, qui hîc dicantur *Exteriores tenebræ. Agitur hoc loco,* inquit, *sicut multis aliis, de Regno Cœlorum, sub figurâ & similitudine Convivii, nec ejus ad meridiem adornati seu Prandii, sed ad vesperam instituti, seu Cœnæ: quia antiquis mos fuit, ut convivia ad Cœnam potiùs, quàm ad prandium celebrarentur. Quamobrem nunquam videmus prandium* (haut satis autem memor hîc extitit Jesuita Textus Evangelici, qui legitur *Matt. cap.* XX. *vers.* 4.) *semper autem cœnam appellari, Luc.* XIV. *v.* 16. *Apocal.* XIX. *v* 9. 17. *Solent autem convivales Cœnæ quia de nocte fiunt, copioso tædarum lumine celebrari, quòd non solùm ad necessitatem & usum, sed etiam ad celebritatem & ambitionem adhibetur. Itaque qui in cœnaculo sunt, in magno sunt lumine: qui extrá, in magnis versantur tenebris. Ideò qui ex Regno Cœlorum extruduntur, in tenebras exteriores ejicè dicuntur: quia quicquid tunc extrà Regnum Cœlorum erit, tenebræ erit, &c.*

Sed & idem *Maldonatus*, dum *Bellarmino* accedere videtur hac parte, & argumentum illud cum eodem perurgere, ita quoq;

de re

de re eâ differit: ut quo se vertat, vix reperiat: Abrahamum modò in cœlo visum statuens; modô eundem in cœlo fuisse negans: Sinumque Abrahæ ita sub terrá fuisse admittens, ut tamen suspicetur summum hîc cœlum designari: inter quos & infimum damnatorum locum magnus utique fuerit hiatus. Libet ipsa scriptoris ejus celeberrimi verba ulteriùs attexere hoc loco: ut præclarè agnoscat Lector, quantopere per Veritatis evidentiam, homo cæteroquin argutissimus, & *Casauboni* etiam testimonio, judicii acerrimi, sese ipse intricârit: dum suppetias ferre causæ haut probæ connisus est. *Liquidò mihi ex hoc loco*, inquit, ad v. 26. Luc. XVI. *colligi videtur, Sinum Abrahæ etiamsi sub terrá, longè tamen remotum à damnatorum loco fuisse. Quin valdè suspicor, summum hîc cœlum designari, inter quod, & infimum damnatorum locum, ubi dives erat, magnus utique erat hiatus, totius scilicet spatium aeris, quod quasi hiatus quidam, vacuum & impermeabile videtur esse. Non quòd Abraham in cœlo esset, sed quòd ita loqui fingatur, quasi esset in cœlo &c.* Ita contentiosè disputans Iesuita, fermè cœlum terræ miscere non abhorruit: nec habuit tandem, quod adver-

sus explicationem antè abs se probatam reponeret: quamvis vel tum, angustiarum istiusmodi præsagiens, cautum sibi etiam velut inante voluerit, adversus leges Pontificias, quæ in verba Magistrorum jurare ferè cogunt: ut tanquam herbam betonicam, addiderit clausulam: *Id valdè probabile sibi videri: sed quia suum sit inventum, malle timidum in asseverando esse, quâm temerarium.*

Libet hic & illud attingere, quod ejusdem ordinis homo, *Hieronymus Xavierius* vafricie quadam egisse videtur: ut expeditius esset, aliô referre id, quod de Lazaro Christus docuit, quàm ad beatam illam in cœlis sedem. Nempe is *Xavierius* Historiam Christi Persicè descripsit, gloriariq; audet, è sacro Evangelio & aliis Prophetarum libris se illam collegisse. Quin tanto eum librum honore dignum judicavit: ut ex omnibus, quæ sub Rege Acabaro (is ille fuit cujus auspiciis & desideriis scriptum illud protulit) in Linguam Persicam sunt translata, hunc demum librũ dignum esse dicat, ob quẽ Rex ille superbiat. Super hæc, postulare ausus est: ut publico edicto sanciatur, quô in sacris cœtibus iteratò legatur. In eo igitur libro *Xavierius*, Persarum

farum (Mogolensium Evangelista scilicet) ubi refert quid Christus de Lazaro commemorârit, pro verbis, in Sinum Abrahæ detulerunt, reponere voluit, *In domicilium Abrahami, & reliquorum quiescentium.* Quorsum Christi verba, quæ Sinus disertè meminêre, sic interpolare libuit? Haut vanam arbitrer conjecturam Viri de Orientalium Linguarum peritiâ longè celeberrimi, *Ludovici de Dieu*, conjecturam: qui Historiam illam Christi à *P. Hieronymo Xavierio* Persicè conscriptam, sed multis simul modis contaminatam, Latinè reddidit, Animadversionibusque suis notavit. Is ad locum Evangelistæ sic immutatum, ut domicilium pro Sinu repositum legatur, *Verebatur*, inquit, *Xavierius nempe, ne per Sinum Abrahæ intelligerent Indi locum quietis, & felicitatis, in quo omnes pii, & Abrahæ per fidem filii, Patri suo Abrahæ juncti, tanquam in sinu quodam quiescerent & refocillarentur, vi fœderis cum Abrahamo & viris ejus per fidem posteris initi. Quod quoniam limbo fictitio Patrum parùm conveniebat, qui inferno junctus, nihil refocillationis prabet, substituit domicilium Abrahami & reliquorum quiescentium.* Ex *quibus verbis, neq; Abraham ut Pater Lazari,*

neq;

neque Abrahæ consortium, ut locus refocillationis intelligi potest. Quæ improba est perfidia. Sic ille.

Utut autem Pontificiæ opinationi obstaculum sic aliquod subducere voluisse videatur apud Indos, novitius ille Arabum Evangelista, Sinum tamen Abrahæ in eodem suo Evangelio sub finem expressè nominavit, & quid eum esse velit expressit, dum in narrandâ CHRISTI sepulturâ, ad hunc modum scripsit: *Corpore Christi sepulto, anima ejus in locum quendam concessit, ubi animæ venerandorum Patrum & Prophetarum & Justorum, qui ex hoc mundo excesserant, eum expectabant. Sciendum enim*, (addit Evangelista ille ulterius) *Infernum quatuor habere gradus*. Infimus *est locus supplicii Diabolorum, & peccatorum, qui sine pœnitentiâ obierunt. Atque eum locum, Infernum vocant, scilicet locum iræ Dei*. Secundus *superior isto est, quem Purgatorium vocant, id est, Mundationis locum. Hic soli boni sunt, qui pœnitentes decesserunt, nondum tamen, quicquid oportebat, omninò præstiterunt, sed exiguorum peccatorum immunditie sunt inquinati: quorum hic pœnam passi, digni redduntur Paradiso*. Tertium, *Limbum vocant, id est, locum tenebrosum. Hic*

Infantes sunt, qui absq; signo Christianitatis, id est, absque Baptismo mortui sunt. Hic nulla omninò pœna est, nisi quod prohibentur à visione DEI. Quartus est, quem Sinum Abrahæ vocant, id est locum Abrahæ, ubi omnes justi, qui sanctè mortui sunt, fuerunt, adventum Christi expectantes.

Si ad eum modum intelligi Sinum Abrahæ oportet, ut Iesuita hîc indicat, non erit hodiè, ut fideles exinde aliquid sibi solatii capiant: Patrum Limbo post Christi resurrectionem seu abolito, seu nullos ampliùs incolas habente, soloque Purgatorio, quod loco Sinus Abrahæ adeant, etiamnum patente, Sinumque ipsum Abrahæ, in quem antè plenam beatitatem recipiantur, in se complectente.

Sed Sinum Beatum illum, qui recepit solutas vinculis animas, vel Seneca etiam in Cœlo constituisse videtur, ut suprà monuimus Sect. 5. Ut exindè rectiùs sapere etiam Iesuitæ hodiè jubeantur.

Subjicere hoc loco libet id etiamnum, quod *Barradius*, Iesuita Hispanus, de Sinu Abrahæ, edisserit in *Commentar. In Concordiam & Historiam Evangelicam, Lib.* IV. *cap.* 5. Ex eo scilicet patere item poterit, quàm propè idem cum Maldonato, à veriore

riore sensu abfuerit, atque nihilominus perseverarit in vulgari aberratione ad Patrum Puerorumque Limbum. Quem tamen dispositione tali etiam ab ipso descriptum ex parte Puerorum offendet Lector, ut cum Xaverio in eodem Ordine haut subsistat. Scilicet quem Limbum Xaverius tertio loco locat, Barradius secundo constituit: ut res ab inde reducibus haut parili narratione accepta videatur. *Barradius* igitur ille, Commentator in Evangelistas perquam diffusus, *Non est* (inquit) *portatus* (Lazarus) *in Cœlum: quoniam antè Christi Ascensionem justorum hominum animæ in cœlum non ascendebant, sed ad inferos descendebant.*

Hinc illud Jacob Gen. XXXVIII. &c.

Samuel præterea 1. Reg. XXIV. &c.

Sunt igitur in visceribus terræ loca quatuor, ut docent Theologi.

Infimus locus, *Tartarus est: in quo flammis sempiternis damnati cruciantur.*

Secundus, *propinquior Tartaro, Infantium carcer, quorum maculam originalem baptismi salutaris aquâ non eluit.*

Tertius, *Purgatorium appellatur, in quo justi, qui aliquid fœcis ex hâc vitâ ferunt, instar auri fornace expurgantur.*

Supremus *Limbus dicitur, qui justorum animas continuit, omni peccato peccatique reliquiis carentium, usque ad Christi resurrectionem.*

Cùm enim cœli fores nondum essent reserata, hi qui cœlo donandi erant, omnibus peccatis expiati, hâc in Sede Christum redemtorem expectabant.

In hunc locum portatus est ab Angelis, felicissimus mendicus Lazarus. Nihil enim habebat scoria, quod igne purgante esset abolendum. Ibidem paulò post.

Non est portatus in Purgatorium, sed in Sinum Abrahæ. Mirum sanè est hominem Legis Veteris observatorem, tanta fuisse Perfectionis, ut nullum haberet peccatum moriens, quod esset igne Purgatorio expurgandum? At vixerat in Purgatorio. Quid enim illius Paupertas? quid Vlcera fuerunt? quid Patientia? Nonne Purgatorium, peccata quæ commiserat, expurgans?

Sic Iesuita dictus suam de Sinu Abrahæ sententiam edisserit: atque interim ordinem in Limbis alium habet, quàm Xaverius, vel alii. Quin imò à communi Scholasticorum opinione recedit, secundum quos, ut testis est *Bellarminus lib.* II. *de Purgat. cap.* VI. Limbus Puerorum in altio-

altiore est Inferni loco, quàm Purgatorium, ut ad eum ignis non perveniat.

Dum à Purgatorio autem Lazarum immunem extitisse miratur, Paupertatis argumento asserere illum indè non veretur, quasi ea cum suis consectaneis, Morbonia, & Patientia, Purgatorii loco in vitâ hâc ipsi fuerit. In quo Hebræis quodammodo accedit: qui ut legitur in *Erubim cap. 4.* referente *Buxtorff. in Lex. Chald. p.* 1237. *Tres*, inquiunt, *non vident faciem Gehennæ: Extrema Paupertas, Dolor Colicus, & alieni æris gravitas.*

Sed nobis hîc illud spectandum maximè, quod de Sinu Abrahæ ipse tradit. Dum eum igitur modo dicto explicavit, post adductas aliorum de eodem sententias, sic ipse etiam subjicit: *Aliter dici potest, Lazarum portatum esse ab Angelis in Convivium Abrahæ: juxtà illud Domini: Matt. 8: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent, cum Abraham &c. Recumbent inquam in Convivio cœlesti.*

Quo certè modo ad sensum verborum genuinum ac verum perinde, uti de *Maldonato* vidimus, proximè accessit.

Nihilominus ne non Limbo suo illi usque favere agnosceretur, addit pro eo-

dem stabiliendo: *In Limbo autem recumbebat in Convivio, quia quiete perfruebatur magnâ.*

Lazarus verò visus est Diviti recumbere veluti dilectus: quemadmodum Johannes in cœnâ in Sinu Christi recubuit.

Sect. 15. *Ex Lazaro in Sinibus Abrahæ sic spectato, quid Piæ commonefactionis Pauperibus offeratur.*

SEd missis jam illis, qui in rebus quamvis evidentissimis, seu hæsitatione, seu contentione delectantur, hoc submonere potiùs lubet: Ut qui *Pietatem* cordi habent, qui ad *supernam Felicitatem* suspirant, seu *Pauperes* illi sint, seu *Divites*, in terris his, omnes ii, animorum rectè attentorum oculis, Lazarum, in Sinibus Abrahæ ad cœleste convivium accumbentem, ita suspectare studeant, quò emolumentum, maximi certissimique profectus, ad ipsos inde redundet.

Nimirum, quos *Paupertas* urget, quos *Vlcerositas* cruciat, aut *corporis* quicunque *languor* dejicit, quos ad divitum januas dejici contingit ob inopiam, qui micis etiam saturari frustrà expetunt, qui canes arcere abs se nec valent, atque eosdem propè man-

pè mansuetiores experiuntur, quàm hominem ex luxuriosi Epulonis consortio ullum aliquem: (Neque enim vel è famulitio aut Satellitio quisquam proniore ad miserescendum indole fuisse innuitur, quàm extitit Herus ipse seu Dominus:) hi ex *Lazari intuitu*, ad hoc erudiantur, ut, quoad possunt, otiosam temerariamq; mendicitatem fugiant. Hoc agant, dum occasio ulla, vel vires etiam ac valetudo id fert corporis: ut laboribus sese suis sustineant. Neque enim Lazarum hîc audiunt in mendicorum classem temerè abiisse: sed per corporis languorem, per ulcerum fœditatem isthuc incidisse. Et quæ Apostolus in istam partem præceperit, graviterque inculcârit II. *ad Thess.* III. *v.* 10. 11. 12. per se in aperto sunt. Ad sani validique corporis homines illa directè spectant. Si quos igitur ulcera, si quos alia corporis infirmitas, ad mendicabula prosternit, undè illa, quæ diximus, evenire sibi videant, *Patientiâ* & *Sustinentiâ* (quam *Irenæus* vocat) calamitatem eam superent, malaque sibi sic objecta indejectâ fide devorent, de Lazari in Sinibus Abrahæ conspectu, certissimum solatium ad se derivantes, quod & ipsi sint à calamitosa hâc

vitâ ad Felicitatem illam supernam perventuri, bajulorum loco vel Angelos habituri, reperturi locum non ad πυλῶνα, sed in ipsâ cœlesti aulâ: nec consessuri tantùm ad mensam Patriarcharum, sed in ipsum quoque Abrahæ Sinum, post Lazarum recubituri.

Sect. 16. *Ex Lazaro in Sinu Abrahæ sic recepto, quid Pia Commonefactionis Divitibus ampliùs suggeratur: ubi obiter attingitur,*

Quomodo τὸ καθ' ἡμέραν aliter quoq; exponi possit, quàm vulgò solet:

Et quomodo τὸ παρακλεῖος apud Irenæum expositum reperiatur.

QUibus ex adverso suppetunt *Divitiæ*, ut in terris his, vel *purpurâ* ac *bysso* amicire se possint, aliis vix lanâ, aut lino, aut cañabe, aut μηλωταῖς & αἰγείοις δέρμασι (qualia nominantur *Heb.* XI. *v.* 37.) quò se à frigore defendant, suppetentibus: quibus annona sic ubundat, ut *hilariter vivere quotidiè*, ac *splendidè epulari* queant, aliis interim ex egestuosa necessitate, perpetua quædam jejunia perpetientibus, frustulisque de mensis divitum prociduis, atque vel in canum usum abeuntibus, vel pedum obtri-

tritione dispereuntibus, frustrà saturari præstolatis: Hi quoque dum divitiarum habent abundè, ut earum abusu vel usu, seu *Divitis illius damnatissimi* Consortes; seu *Abrahami beatissimi* consectanei evadere possint, hi inquam, ex *Abrahæ Sinu*, sic dilucidiùs explicato, sapere salutariter discant. Dum ipsis suppetunt & opes & operæ, ut ædes sibi struere magnificas valeant, quales sunt illæ, in quibus πυλῶνα reperire est, h. e. vel atrium, vel, ut *Henrico Stephano videtur*, portam amplam, seu majorem aliquam, (ut Divitis illius fuêre:) aliis vix interim tegillo aut tuguriolo patente, in quod sese recipiant, frequenter autem ad Divitum πυλῶνας dejici solitis: dum suppetunt, seu mercedis, seu honorariorum impendia, ut valetudinem curare, non tantùm delectu ciborum, sed conductu quoque peritissimorum Medicorum queant, aliis ad ulcera sua nec emplastrum invenientibus, sed canes Medicorum loco admittere per infirmitatem coactis: quibus, inquam, sic præstò est Plutus; isti & *Lazarum* in Sinibus Abrahæ suspiciant, ad tantam illam felicitatem, & tam eximiæ singularisque charitatis dignationem promotum: & *Divitem*

quo-

quoque respiciant, in Inferno, in tormentis, *non purpurâ & bysso*, (ab igne licet nostrate non combustili, adversus infernalem æstum tamen nihil quoque tutante,) ampliùs vestitum, sed flammis, velut amictu quodam, exsplendescentem; *non in arce augustâ*, accumbentem, sed in orci angustias detrusum; non fomenta habentem, sed sentientem tormenta: *non nectar haurientem*, sed inter tartara frustà quoque expetissentem, quæ digiti extremo (de malluvio convivali, seu pollubro) instilletur, aquæ guttulam: *non jam satellitio famulorum stipatum*, ad nutus quosque anteà paratissimorum, sed servitia etiam despectissimi antehac mendicabuli inaniter efflagitantem, eumque pocillatorem sibi dolorosè exoptantem, cui refocillator antè esse dedignatus fuerat in ulcerosis doloribus: respiciant hunc talem infrà se sibi à Christo propositum. Dum adhuc in terris sunt, respiciant: ut maturè vitent, per quæ possent eodem detrudi. *Agnoscant jure illi negari, sub æstuosis cruciatibus, aquæ guttam; qui egestuoso negârat antea panis crustam.* Si liberum esse credunt (ut est sanè nonnullis per conditionem & dignitatem suam) *vestiri* pretiosiùs, *victitare*

tare delicatiùs, *habitare* munitiùs, *alere* molossos & vertagos, ad venationum delicias: ne pauperes, ne egestuosos, ne mendicos, ne miserabiles ullos, suâ quandoq; desideria nec voce exprimere audentes, contemtim habeant, neglectimve canibus delingendos relinquant.

Atque ne tum quidem Lazari ad vestibulum abjecti obliviscantur, phagedænisque putentem ita aversentur, ut suppetias micarum illi elargiri prætermittant, *cùm diem fortè hilarem agunt, non omnem, sed aliquem tantùm.* Nam, (ut obiter, id etiam hic attingam) τὸ καθ' ἡμέραν, quod in ipsa hac de Divitis illius moribus narratione legitur, *non quemvis diem perpetuò*, seu quotidiè significat semper; sed *certum* etiam, ac velut *definitum diem quendam*, designare potest, seu *annuum*, seu *menstruum*, seu cujuscunque tandem intervalli: Uti *Piscator Herbornensis ille Thologus*, isto loquendi genere alibi annuum quendam diem denotari, approbè observavit, ad *Hebræos cap* VII *in Scholiis.* Neque verò in isthoc Lucæ textu legitur κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, (ut legitur quidem *Actor.* XVII. *vers.* 17.) quamvis *Interpres Germanus* tam noster, *Lutherus*, quam quem Pontificii eidem opposue-

posuerunt olim, *Emserus*, reddiderit, quasi in Græco dies omnis expressè notaretur: nec *Latini Interpretes* aliter habeant, quàm quotidiè. Atque utut in eundem modum *Interpretes* habeant etiam *plerarumque nationum*, quos videre licuit, alii: Si Græcis tamen literis pressè hîc insistere libeat, non aliter verba sonabunt, quàm, *secundum diem*: Ut sensus, de *statâ quadam die* quem innuimus, facilè locum invenire per verba ipsa queat. Vel isthoc vero sensu admisso, seu saltem spectato, agnoscere divites *debent*, commonefieri se de eo, quod *Siracides* monet *cap.* XIV. *v* 14: si nostrum Alemanicum Interpretem hîc videamus. Nam Græca & isto loco aliò tendunt; licet sententia illa, quam dictus interpres reddidit, dignissima sit omnino, quæ probè etiam observetur. Atque si esse tam damnosum potest, vel *statum aliquod, seu certi duntaxat temporis convivium*, luxuriosè egisse, cum neglectu hominis egestuosi atque languidi: quo loco illud non habendum intelligitur, *si perpetuetur luxuria*, & quotidiana existat ingluvies, quę absumat disperdatque id, quod ærumnosis poterat esse subsidio? Qualem convivandi modum, cùm negotia ferè alia Divi-

viti-

vitibus hodie non permittant, licet interdum, aut subindè potiùs helluentur strenuè, parumque recordentur inter pocula pauperis: fit indè, ut pauci sese agnoscant, inter *Epulonis* illius *Fratres* transcribendos: cùm *seni* ex uno patre, adeoque multò plurimi existant, qui generis ejusdem convivia frequentare intelligendi sunt, qualia ab isto acta, cum ærumnosi hominis destitutione, fuisse memorantur.

Sed & suspectent *Divites in hoc seculo*, ad Superna potiùs, ubi Lazarus in *Sinibus Abrahæ* compareat; Ubi mendicus παρακαλεῖται dicitur, h. e. seu *consolatione affici*, (ut *vulgaris* & hodierna omnium interpretatio vim verbi exprimit) seu *rogari*, h. e. ad servitia quædam à Divite illo damnato experi: uti *Cyprianus* locum illum redditum adducit *lib.* III. *Testimoniorum ad Quirinum*: (quam significationem in passivâ formâ verbi hujus ex *Plutarcho* etiam docet *H. Stephanus*, nec *Budæus* reticet: adeòque discant maturo adhuc ævo, nec mendicabula frustrare, quæ rogare tandem, & ad servitia sua velut ex Abrahæ amplexu deposcere frustrà, ista ratione mereantur.

Quin, ut denuò id inculcem, suspiciant

potiùs

potiùs & obſervent ibi, *ſuæ ſortis & cenſus*, ſed *diſparis* tamen, quàm *Dives* iſte fuit, *ſenſus & moris Divitem*, item *Abrahamum*, diſcantque *mores*, illi olim in vitâ mortali hàc uſitatos, imitari: uti vident eundem poſt vitam quoque iſtam, in moribus iisdem in tantum jam velut progreſſum, ut Lazarum etiam mendicum pridem ærumnabiliſſimum, non præ foribus tantùm excipiat, ſed planè in *Sinibus ſuis* attineat. Neque dubiâ ſpe, ex iſtâ contemplatione, perſvadeant animis ſuis *de Abrahamo*, fore eundem, (vel ipſum potiùs aulæ cœleſtis Præſidem CHRISTUM JESUM,) uſque etiamnum promptum ac paratum, ad admittendos & recipiendos pariter in *conſortium Felicitatis æternæ & gaudiorum*, non pauperes tantùm, Lazari in pietate & patientiâ ſimiles: ſed & *divites* quoscunque, qui fuerint *ejusdem* cum Abrahamo *Fidei Filii* per eam *Abrahæ genuini*, *Humanitatis* itidem, & *benignitatis ejusdem* in hoc ſeculo ergà advenas & inopes exercendæ, hilares, adeoq; Deo verè dilecti, *Imitatores*. Qui abſumit proprandialia, abſumit convivalia, inquiunt *Rabbini in Thal. Hieroſ. Schevìis cap.* 4. Id Proverbiale eſſe docet *Buxtorff. Lex. Chald. p.* 2541. in eos, qui

qui malè decoquunt dona Dei, ad sustentationem hujus vitæ temporalis benignè & largiter data, hi quoque carebunt cibo cœlesti in vitâ futurâ. Qui cibo se tantùm infercit, frustraturque eo famelicosos miseros, ipse à cœlesti convivio exclusus, cogetur isthic in SINU ABRAHÆ videre tandem abs se anteà immisericorditer neglectos.

Atque de Abrahæ Sinu tantùm.

In Pirke Aboth cap. 4.
Rab. Jacob.

Mundus hic similis est Vestibulo respectu futuri mundi.

Præpara teipsum in Vestibulo, ut possis ingredi Triclinium.